
FR. LEONIS CARMELITAE RHEDONENSIS EPISTOLAE SELECTAE

A D

Primates, & Doctores Ecclesiæ:
Proceres, & Eruditos Seculi;
Cultores Vitæ Asceticæ,

NOMINATIM CARMELITICAE.





ROMÆ Typis Iacobi Dragondelli.


Cum Licentia, Approbatione, & Privilegio.

ANNO MDCLXI.



EMIN.MO PRINCIPI
CAROLO
CARDINALI
BARBERINO.



V AE nimirum vitæ, instituto consultum reor, CAROLE CARDINALIS EMINENTISSIME; per magna animum exempla quò tua te vocant genitura, indoles, purpura certatim provocari. Certè enim nec pauca sunt nec parva, quę te cogunt potiùs quàm impellunt

EPISTOLA NVNCVPATORIA

EMINENT. PRINCIPI

ad vitæ illuſtrioris ſimul & ſanctioris decus eminentiſſimum. Magna ex vtriuſque Parentis ſtemmate proſapia, nomen maius: & inter apes ac columnas coronis redimitas conſecratum, hæreditas quammaxima.

Memini equidẽ cum te primùm Lutetiæ Pariſiorum noſſe à Deo & ab affectu gentilitio conceſſum eſt, prædixiſſe me pluſquam ſemel, ancipitem tibi tunc viam occurrere: eamque, vt ſit inter Magnates, admodum lubricam. Verùm aſpirante primo numine, proprio dein ingenio magis ac magis impellente, iuvantibuſq; paſſim domeſticis exẽplis, vnum virtutis ac doctrinæ regium iter tibi vtiquè capeſſendum mox egregiè iudicaſti, & aggreſſus es generoſiſſimè; ſcilicet

Ante annos, animũq; gerens, mentemq; virilẽ.

Verumenim quia per præcepta ad ſummos gloriæ apices via moroſior eſt, ecce tibi bonis avibus ſemitam offero tam compendiariam quàm ſecuram. CARDIN. CAROLO BARBER.

VIDISTI credo quo polles ad res omnes pulcherrimas nativo inſtinctu, artis proiectivæ miraculum. Circũpoſiti vndiquaquè vultus diverſi, per vitrei tubi foramen tenuiſſimum ſuos ita radios in punctitium vibrant, & collimant; vt in vnius à cunctis diverſiſſimi, delineationem vnitiſſimè conſpirent. Ita plane in aditu ſeu propylęo præſtantiſſimorum Nominum, quibus noſtra variè Studia inſcribuntur; emines adhuc in flore ætatis, omnium mox lineamenta in te feliciter collecturus.

Fallor, EMINENTISSIME PRINCEPS,

EMINENT. PRINCIPI

vnum præ ceteris vnicum in ſinu geſtas; quem vt ſummè debes, ita non potes non maximè æmulari. Ac licet, ex verbo veteri, vix vnquam ſimilitudo aſſequatur exemplar rei; cogitare tamen non potes te Magni VRBANI VIII. Nepotem, & in humili conſiſtere. Ad ſummam tanti Pontificis ideam, necnon ad PATRVI vtriuſque Eminentiſſimi purpuram examinandus eſt vitæ tuæ color, tenorque. Et cuiuslibet ſanctimoniæ ſimul & eruditionis cãdidatus cùm ſis, quos Patruos dedit ſanguis, imitatio exemplar eſſe imperat; *rapitur quippe ad ſimilitudinem ſuorum, excellens natura*. Repoſcit à te Chriſtianus Orbis imaginẽ, quam totam totus debes repræſentare. Illorum nempe veſtigijs dum grandi paſſu inſiſtis, occupat iam

ingenium ingens par rerum moles; divinis, humanisque temperandis felix. Laxat quoque, vt in Patruis, rerum Ecclesiasticarum curas, Sciētiarum innocua haud minùs quàm amœna oblectatio. His nimirum dum vsque adeo præclarè intentum te & attentum Roma demiratur, & amat ad vsque delitias;

CARD. CAROLO BARBER.

Invenies proprijs in fontibus ignes.

Quod si ad maiora iterum exempla provocandus es, ingerit sors, vestisque ideo purpurea quia cardinalitia; vt quod Numen religiosè colis, potissimùm imiteris. Ea namque Christianitatis prærogativa est vitæ prototypum & rationem habere, quem fidei autorem agnoscit: simulque Religionis, quam profitetur, institutorem. Dolendum sanè CHRISTI præsertim altaribus ac

EMINENT. PRINCIPI

mysterijs consacraneos, ad alios vultus divertere. Hanc porro tu tibi ideam proponis, CARDINALIS EMINENTISSIME, vt castè, vt sanctè, vt prudenter, feliciterque vitæ cursum instituas;

Nam in teneris consvescere pulchrum.

Eo ductu, Patrui tergemini os, animumque referens, Barberini nominis dotibus fœneras iam posteritati simul & æternitati.

INTERIM tot præclaris non degener addens, talem iam modò habemus & cernimus, qualem cupiunt & sperant quotquot amant. Et quę suprema est felicitas, eaque absolutissima (reliqua enim crepundia, quisquiliæ, nugæ) pręmatura virtute, & ingenio in Virum evadis cõscientiâ Christianum, scientiâ Catholicum: meritis adhuc magis quã

purpurâ, Cardinalem; vno verbo; per omnes titulos & apices Barberinum. Ita vovet hæc tibi, CAROLE OPTATISSIME, Epistolarum lipsana devovens, pridem Eminentissimo nomini tuo: perque nova quibus me Romæ prævenis beneficia, tuæ magnanimitati nō vno ęre, sed affectu sincero devotissimum. In tuo, quod vrbanissimè obtuleras, Vrbis Leoninę Tusculo; vbi secretioris thalami epigraphe visenda, ad Musarū secessus & otia invitabant. Nempè CARDIN. CAROLO BARBER.

Huc procul à curis animum quibus implicat Aula,
Te vocat affecti cordis amica quies.
Hic requiem optare licet, passimque vagari,
Aëris hicque haustu liberiore frui.

PRID. KAL. AVG. AN. MDCLX.

OCCASIO

PRÆMONITIUNCULA
LECTORI BENEVOLO, ET ERUDITO.

QUAE *Supremi Numinis in Orbe terrarum ludit* Providentia, *ea quoque noſtram in Hominibus vitam librat & verſat ad nutũ. Tam conſpicuæ veritatis documentum eſt noſtra ætas, tot gyris implexa, tot caſibus illuſtris, tot eventis famoſa. Atque ut cinifes, formicæ, arenulæ, quisquiliarum omne genus proprium quoque in Mundo ſitum obtinet, ingens in parvo ſui Conditoris argumentum: ita tantillam vitam meam, per diverſa admodum ſummi* Dei *nutibus appenſam extitiſſe, ſemper iucundiſſimũ fuit.*

Alia *prorſus cogitantem Romam tertiò me vocat, quem dudum profeſ-*

ſus ſum Ordo Carmeliticus: Romæq; *retinet, tantiſper etiam invitum, omniũ conſentiens in novum munus electio. Pacato paucos ante annos in Gallijs tumultu civili, cœperat prodere ſe in lucẽ* STVDIVM NOSTRAE SAPIENTIAE VNIVERSALIS; *non minùs annos quadraginta ſubinde per vices, occupationeſque diverſiſſimas pro noſtro modulo elaboratum.* SCRIPTIONIS

Primum Tomum, qui CONTEXTVS *eſt* SCIENTIAE-HVNANAE, *vidit Roma, nec plane deſpexit. Plures notæ melioris optant, quibus hìc careo, Exemplaria: ſuadentque propterea, typis renovari; prodire inſuper quæ conſequũtur nondum excuſa, aut publicata. Dum igitur aptantur præla, iſtaque, quia non ſatis benè audiunt, experior in materia leviori; placuit mihi, alijs etiam ſuadentibus, protrudere quas*

OCCASIO SCRIPT.

hic habes, LECTOR ERVDITE, *Selectas* Ep*istolas*:

Super quo quidem ſcribendi genere, non eſt quid evigilatis vtroque ævo per diverſos Operibus adiungam. Neque enim tam provoco ad Erud*itorum exẽpla, quàm ad* P*atrum qui Græcæ ſimul & Latinæ* Eccleſ*iæ per ſuas, quas hodieque habemus* Epiſtolas, *maximè illuxerunt, immo & profuerunt:*

CETERVM *vt nullæ præſto eſſent aliæ rationes, quæ & nihilominus adſunt plurimæ; vel Momis, vel Zoilis, opinor, me ſatisfacturum vno vnico verbo; placuit ſic ſcribere. Si tibi diſplicet, à lectione te abſolvo; & ad meliora abire fas eſto.*

LICENTIA

Reverendiss. P. Generalis.

FR. HIERONYMVS ARI Astensis, S. Theol. Magister, ac humilis Prior Generalis totius Ordinis Fratrum B. V. de Monte-Carmelo; Dilecto nobis in Christo Rev. *Adm.* Patri Leoni à S. Ioanne, *Assistenti nostro Generali, nostræ Provinciæ Terræ-Sanctæ* Provinciali, *Turoniæ semel atque iterum* Exprovinciali, *Regum Christianissimorum Ludovici XIII. & XIV. à* Concionibus *Ordinarijs; scientiam salutis, & ad iustitiam erudire multos in Domino.*

CVM providente DEO, & Ordine suffragante, Te habeat Vrbs Vrbium Roma incolam, & tuâ possit vti operâ faciliùs & liberiùs: non licentiam tibi facimus modò, sed & præ-

ceptum adijcimus Tuum typis mandandi *Studium Sapientiæ Vniversalis*, *tribus Tomis distributum*. Quorum Primus, Scientiæ-Humanæ: Secundus, Divinæ Contextu absolvitur; Tertius Philocalia & Analecta Miscellanea, Oratoria, & Epistolica complectitur. Servatis de jure servandis, vt Sanctissimæ Matri Ecclesiæ, cujus filij: Apostolicæ Sedi, cui devoti: Ordini, cui præpositi; Viris deniquè omnibus quibus nobiscũ Pietas sapit & Eruditio, data quacumque occasione litemus. Dat. Romæ in Conventu nostro S. Mariæ Transpontinæ, die vigesimo septimo mensis Augusti, Anno Domini 1660.

Censura de mandato Reverendissimi Patris Generalis Ordinis.

APPROBATIONE haud est opus *Vniversalis Sapientiæ Studio Adm. Rev. Patris Leonis Carmelitæ Rhedonensis*, cujus nomen proprijs meritis satis pridem

notum. Iussu tamen Reverendissimi nostri Generalis Mag. *Hieronymi Ari* testor me opus prænominatum, atque in *Tres Tomos* partitum vidisse, legisse, & examinasse: in eoque omnia reperisse Autore, & Lectore Orthodoxo dignissima. Scientias nimirum Humanas atque Divinas ita exprimit & connectit, vt ex antiquis ac modernis Scriptoribus neminem imitetur: sed medium tenens inter vtrosque, nova & mira methodo ipsas ditet & illustret. Elogium ne addam, impedit nota mihi Autoris modestia; quod ipse sibi statuit tot præclaris vtroque idiomate, Gallico & Latino, & in omni materia exaratis. Autori verò & Scriptis illius suum publica fama decus rependi etiã hîc Romæ, suffragij mei sigillum est: & firmamentum, omni exceptione majus. Actum in Divæ Mariæ Transpontinæ Generali Ordinis nostri Conventu, die 30. Augusti, anno 1660.

Fr. Michaël à Sancto-Spiritu, Reformatæ Provinc. Turoniæ S. Theol. Prof.

SELECTAS hasce *Epistolas*, quibus nil selectius vnquam vidi, à Rev. Adm. P. LEONE Carmelita conscriptas, & in hoc Volumen congestas, jussu Reverendiss. *P. Mag. S. Palatij* accuratè perlegi: easque reperi rectæ fidei, bonis moribus, pietati ac Religioni mirificè consentaneas. Et cùm contineant maximam rerum, sententiarumq; copiam tàm ad eruditionem, quàm ad pietatē promovendam valde idoneam: sintque stylo florenti, ac sublimi concinnatæ; pro certo habeo eas in publicam vtilitatē cessuras, & communem omnium plausum, atque admirationem cōsecuturas. Quapropter vt Typis in lucem quamprimum evulgentur, dignissimas eas censeo. Romæ die 9. Septemb. 1660.

Fr. Clemens Tostus, Monachus & Abbas Silvestrinus Ord. S. Benedicti, & Sacr. Congreg. Indicis Consultor.

Imprimatur, si videbitur Reverendiss. P. S. Pal. Apost. Mag.

O. Archiep. Patrac. Vicesg.

Imprimatur

Fr. Raimundus Capisuccus S. Pal. Ap. Mag.

FR. LEONIS CARMELITAE RHEDONENSIS

EPISTOLARVM

TITVLVS PRIMVS

Ad Primates, & Doctores Ecclesiæ.

S. D. N.

VRBANO PAPAE VIII.



VGVSTA Poëtices Disciplina, VRBANE PONTIFEX MAXIME, iam olim vendicat sibi quidquid est in Orbe Religiosum. Neque enim alio vnquam dicendi genere vel Dij cum Ho- DE SVA POESI CHRISTIANA I

VRBANO VIII.

minibus, vel Homines cum DEO ſunt collocuti. Vt credatur de facili, ſuos Divinitatem ſplendores aut occuluiſſe ſub eiuſmodi fabularum involucris ad ſui, noſtramque reverentiam: aut muſicis incluſiſſe numeris, vt ſibi Mortalium animos grata modulatione conciliaret. Priſca certè Theologia non alijs, quàm *Poëtarum* vmbris, ſua apud Nationes myſteria delineavit. Fluxerunt deinceps ab eodem fonte Sapientum oracula, Legum ſanctiones, Morum præcepta, Status & πολιτεία Imperiorum. Quid quod noſtra quoque *Chriſtianorum* Schola, quæ Tertulliani genio ac ſtylo tota ad rudem, crudamque auſteritatem Sectatores ſuos effingit; adeò non abhorret à Poëtarum delicijs, vt tota vtriuſque Inſtrumenti pagina Muſarum amœnitate effloreſcat. Sed ecce noſtro ęvo teſtimonium omni exceptione majus, Sacra illa *Poëſis*; quâ divinam Scientiam profanis manibus, velut impia contagione maculatam, non aliter quàm Pontificia apotheoſi, ſuo honori, priſtinæque ſanctitati reſtituiſti.

TANDEM ad omnium ſtuporem, Muſæ induerunt peplum Evangelicæ caſtitatis. Vnuſque inveniſti feliciſſimo ingenij miraculo, quonam fœdere Poëſis fieret *Chriſtiana*: nec tamen elegans, acuta, polita, ſuis demum omnibus numeris abſoluta, qualis tua eſt, eſſe deſineret. Præcucurrerunt eo in ſtadio ſervata infularum, faſciumque majeſtate (vt de Græcis, Neotericiſque hoc loco nihil attingam) Paulinus & Proſperus in Aquitania, Fortunatus inter Pictones, Sidonius in Alvernia, alij plures in Gallia: Boethius in Italia, Rabanus in Germania, Prudentius & Iuvencus in Hiſpania; atque ante omnes in Sancta Sede Romano-Catholica, Damaſus ille Vrbis & Orbis Pontifex Maximus. PONT. MAX. II

Verùm audacter dicam, & citra omnem adulationis ſuſpicionem; vnus poſt omnes, palmam præripuiſti vniverſis. Adeòque ſequentibus ſpes imitandi adempta eſt, vt obſcurum Carmen non alio hîc fine adumbrarim; quàm vt veſtri Solis radios noſtra inoffuſcatio in maiori, ac meliori lumine collocaret. III

VRB. VIII.

ODE DICOL.

V LONGE profani nomen Apollinis
Iniuriosum Celitibus, procul
Fatalis Heroum potestas,
Mæonij simulachra Vatis.
VRBANE magnum Romulidum decus,
Totius orbis Christiadum caput:
Quem spontè procliues adorant,
Conspicui pietate Reges.
Quacunque mundi parte refulserit
Lux solis, ardens ingenij jubar
Pellit laborantis Mineruæ
Auspicio tenebras beato.
III Nuper fauentis gratia Numinis,
Sublime Gallis intonuit melos:
Herois instaurans triumphos,
Et meritum renouans honorem.
O quanta sacri gloria Principis,
Quæ fama iustis parta laboribus,

Dignos triumphali Thiara
Sancte refers Lodoice plausus! PONT. MAX.
Olim beatis sedula manibus,
Sacros honores Roma *dicàverat:*
Nunc rursus VRBANI *favore*
Pontificis, sociantur astris.
Ex *quo recenti Musa volumine,*
Exuberantes mentis opes tulit;
Europa *concessas* Minervæ,
Fertur ovans rapuisse palmas.
Illas perennes exuvias, tuis
Appendit *vltrò Gallia fascibus:*
Fatalis augendo vicissim,
Promeriti titulos honoris.
Nullus secundos Numinis impetus,
Spirare sacris Carminibus neget;
Cedant Palatini lepores,
E*t veterum monumenta Vatum.*
Quicquid Platonis fabula venditet,
Hæsisse linguæ Cecropias apes:
Hunc cæca mentitur vetustas,
E*loquium meruisse Divum.*

VRB.VIII. *Vtrumq; pignus, Maxime Præsulum,*
Divinus in te conciliat favor;
Examen Hyblæum quievit
Stemmatibus, pariterque labris.
Hinc fortiores Hercule Gallico
Nactus catenas, eloquij truces.
In iura compellis Sicambros,
Inque feras dominaris aures.
His fretus armis iurgia Principum,
Martisque sævos comprimis impetus:
XII *His victor, accensos serenas*
Imperijs Hominum furores.
Quas BARBERINI *Nominis infulas,*
Aut Gentis almæ Nobilitas parit;
Sublimat Ascræis amicum
Numinibus, super astra nomen.
Quamvis avita Stirpe decentius,
Tollas propinquum sideribus caput;
Divinæ commendat potestas,
Patritios Generis decores.
Hæc Christianis iura Fidelibus,
Celi supremis nutibus asserit:

Hac tutus & liber Sacerdos,
Thuriferis operatur aris,
Hac veritatis providus arbiter,
Sincera terris dogmata vindicas;
Dum sævus infames Alastor,
Exagitat sceleris Ministros.
Dum præpotentis ius anathematis,
Devota diris pectora fulminat;
Dum sacra Maiestas, profanos
Hæreseon resecat tumultus.
Quò sanctitatis gloria pervolat,
Stipant ovantis munera Pallados;
Vnaque conspirant tropheis,
Ingenitas cumulare dotes.
Seu Galliarum Regibus intonas,
Testes amoris Pieridum modos:
Aut ære commendas perenni,
Egregiæ monumenta laudis.
Hic vena sensus explicat intimos,
Phœbique gaudens officijs amor;
Testatur affectus paternos,
Atque pij studium Parentis.

PONT

VRB.VIII. *Hæc Liliorum fœdera publicis*
Signata fastis exitio carent;
Hoc pignus exundans amoris
Nulla tui, violabit ætas.
Ne gratiosi muneris immemor,
VRBANITATIS *Gallia vixerit;*
Tantos remetiri favores,
Nestoreum satagat per ævum.
Noscant supremum sæcula Præsulem,
Franci columnam Nominis, & pios
Sensisse Gallorum triumphos,
Ausoniæ columen Thyaræ.
Cunctis tremendos Numine vivido
Vultus adorans Gallia, Posteris
Hæc vovit VRBANI *Parentis,*
Atque sacræ studiosa Sedis.
Gratantis ergo vota Poëseos,
Quæ sponte Gallus parturit, excipe:
Cultusque præmessum coronet,
Obsequij melioris omen.

LVTET. PARIS. IDIB: APRIL. AN.
MDCXXXVIII.

PONT. MAX.

S. D. N.

INNOCENTIO PP. X.

INSTRUCT. CATHOLICA VI

SACRI præsertim otij rationem Pontifici reddere veteri & lege,& more institutum: Ea pedibus tuis, BEATISSIME PATER, advolvit modò quidquid istius Opellæ est. Nempe dum vestro jussu æstivi calores vrbium Vrbi, Romæ denuò affixum me tenent; ne nihil agerem, egi in tuos: hoc est in Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ hostes. Verti stylum, quem strinxeram contra nostrates *Hæreticos*. Quæ enim olim Gallia monstris caruit, istis malum! ab ævo infestatur: sed jam jam à Celo, à Pontifice, à Rege perituris. Felicem contra eo maximè titulo Italiam reor, quòd sicut Pauli prærogativâ Mytilene Serpentes minimè alit: sic grandiori miraculo, nec Petri Ditio sustinet quos Calvini virus infecit.

Vacaverit itaque fortaſſis medicina, vbi nulla ægritudo. Verùm ad tuam pertinet curam quotquot in Orbe, nedum in Vrbe, errorum contagio afflavit. Sentiſque illius te eſſe Vicarium, qui non alio magis quàm pæonij, celeſtiſque Medici titulo amat inſigniri. Vidi propterea non ſemel, quæ tua fuit clementia, ad Chriſtianorum clades ingemiſcentem: ſed majoris potiſſimùm Britanniæ, fato illacrymantem. Tantus in te zelus, PATER SANCTISSIME, meam, ſi tantilla eſt, in iſtiuſmodi vulneribus induſtriam iterum provocavit. Quod igitur παιχρέτιον ante viginti annos habeo exploratiſſimum, nec ita diu Francis meis invulgatum, iam latio condidi; vt ſi minùs rem Chriſtianam juvaret, ſervitutis ſaltem meæ & affectus perenne eſſet monumentum.

INNOC. X.

VII AD quæ mens mea dum attentiùs reflectit, in tuis nominibus & ſtemmatis, PONTIFEX MAXIME, ſacris velut apothecis, commoda noſtris malis remedia videor comperiſſe. Vetus nimi-

rum ac prænobilis inter Romanos familia *Pamphilium* edidit, vel vegetantis passim naturæ in Orbis valetudinem, compendium: vel amicitię illecebram, totius Humani-Generis cōciliatricem. Quæ deinde salutaris aqua Christianum fecit, fecit & ex gratiæ nomenclatura Æsculapium. Quid porro COLVMBA, oleæ ramo, Lilioque triplici ad salutem vel significantius, vel efficacius? Volucris beata non tam tuum, PAPA INNOCENTISSIME, quàm Spiritus-Sancti, Ecclesiæque Symbolum est. Sanguinem illius, è vena sub alam dextera, perluminandis oculis ferunt idoneum. Nec paterno tuo affectu quicquam salutarius; vt quos maligna lues, plerumque & voluntaria cæcitas exoculavit, in agnitionem fidei inoculentur. Qui in Evangelio miserè saucius expirabat, affuso oleo paulatim revixit. Non aliter à CHRISTI nomine, olei in morem fuso, eam mutuatus es mititatem: eam benignitatem, eam cum gravi prudentia, generositate magnanimi, longævaque experientia mansuetudi- PONT. MAX.

nem; quæ eos solùm non sanat, quos non tangit. Quanta demum spes à Lilijs, arcano numero & tibi, & Galliæ, & CHRITO consecratis? Faxit DEVS vt tot Elogiorum sub Innocentij Decimi nomine, & omine complexu felicissimo, dudum laborans Orbis; morborum omnium medicina, pacisque caduceo Divinum te Mercurium & citò, & diu experiatur. Ita voveo ad multos annos, BEATISSIMI PATER. & me totum Catholicâ fide devoveo. IN VRBE IV. IDVS OCTOBRIS ANNO MDCXLVIII.

INNOC. X.

Ad Eumdem.

COMMENDATIO DVPL. VIII

NEc Sanctitatis Vestræ fastigium, nec de minimis præsertim rebus CHRISTI in terris Vicarium interpellare præsumo. Non quòd non præbeat facilem aditum humanitas propemodum divina, nomine, vultu, pluribusque in meam tenuitatem beneficiis

exploratiſſima. Verum-enim ab eo tempore cultus mihi in Veſtram Sanctitatem ingens, zelus ardens: affectus ſincerus, fides inconcuſſa, obſequium perenne. Et me quidem eo animo, ea mente devoveram rebus tum Eccleſiæ Chriſtiano-Catholicæ, tum Carmelitanæ Religionis. Sed fato publico ejuſmodi bono ſatis infelici, læta initia maligni ſucceſſus corrupêre. PONT. MAX.

IX Vt tamen intelligat Veſtra Beatitudo, idem mihi ſemper pectus ineſſe, Apoſtolicis pedibus veſtris prona humilitate adgeniculatus, duo ſi non auſim præ reverentia poſtulare: ſaltem abs filiali communem erga Patrem fiducia, ſimplici corde proponendi licentiam efflagito. Alterum ſpectat præſentem ſtatum meæ Religionis. Alterum præſentium latorem. ſimul & explicatorem P. N. quem veſtræ Sanctitati audeo commendare. Non alio vtiquè intuitu, quàm Eccleſiæ & fidei; per illius virtutem, zelum, doctrinam, adjutrice CHRISTI gratia, propagandæ. Hæc duo nimirum V. S. oculis ſu-

ALEX VII.

bijcio ea ingenuitate, eoque candore; quo me tantillum loquentem, non semel audire dignata est. Eius pedibus iterum, atque iterum figo oscula, benedictionem exposco: & ineunte novo anno, plures illi felicissimos exopto. LVTET. PARIS. IPSIS CHRISTI DOM. NATALITIIS, AN. MDCL.

S. D. N.

ALEXANDRO PP. VII.

FRANCISC. SALESII PANEG.

X

ROmam regredi, Pontifice Alexandro Septimo, ingens mihi felicitas à celo, & à DEO. Clementer verò admitti ad pedum oscula, munus fuit, BEATISSIME PATER, raræ quidem erga omnes humanitatis tuæ, in me verò benevolentiæ singularis. Tuncq; non agnovi solùm de vultu, sed & sensi imo pectore CHRISTI Vicarium. Insueto videlicet errore, auxit præsentia famam: totusque stupens vsurpavi istud

Reginæ illius non habentis vltra ſpiritum, ad primum conſpectum Salomonis, Regum ſimul & Mortalium ſapientiſſimi. Verus eſt ſermo, quem audivi ' in terra mea: *maiorque* eſt ſapientia & ' opera tua, quàm rumor quem audivi. ' Sit Dominus Devs benedictus, cui cō- ' placuiſti: & poſuit te ſuper thronum ' *Iſrael*. Ita tu quoque, Sanctissime ' Pontifex, viſus es mihi à natura inſtructus, omnique virtutum apparatu excultus; vt ſubitò attonitus hæſerim, in tantæ Majeſtatis contemplatione. Quid primum, quid-ve magis demirarer ſuſpenſus hæſitabam. Alliciebat me gravis modeſtia, retinebat modeſta gravitas. Rapiebat oculos ſpecies digna Pontificatu, demulcebat aures latinitas diſertiſſima: intimos animi receſſus penetrabat ingenij dexteritas, ſententiarum pondus, judicij maturitas ſumma.

PONT. MAX.

Sed dedidi me totum, fateor, eximiæ pietati; quæ totius ſermonis tui divinum, ac celeſte condimentum eſt. Cumque & colloquio mihi certè for- XI

tunatiſſimo, ſubinterveniſſet mentio
ALEX.VII. ſuaviſſimi Præſulis *Franciſci Saleſij*: agiteturque modò ſub tua autoritate, cum tot ac tantis cautionibus, optimi Epiſcopi *Canoniſatio*; illius à me concinnatum olim Elogium, jamque latinè redditum, ſub tuis, PAPA SANCTISSIME, auſpicijs, noſtris porrò Philocalijs inſerere, pretium operæ duxi. Qua demum in re conſilium fuit, vt miſſo in Eccleſiæ gazophylacium hocce denariolo optatæ apotheoſi & ipſe collaborans, pro mea tenuitate inſudarem.

XII IN id porro majori adhuc affectu quàm niſu incumbenti, oblatæ amica manu & erudita *Philomati Muſæ Iuueniles*; iſtud quoque à primæ olim ætatis litteratura, hoſtimentum in tua, ALEXANDER MAXIME, ſymbola expreſſerunt.

Cernis, Alexander, Chiſiæ tua ſtemmata
Gentis.
Summum Pontificem denotàt illa trias.
Stat Rupes, adſtat propè Robur, Stella
ſuperſtat.
Dos data iam Petro, nunc quoque trina
tibi.

Triplex nimirum prærogativa, quam CHRISTVS dum suam fundat Ecclesiam, Petro indulsit, suo ceu Vicario; cujus & tu Successoribus, feliciter annumeraris. Super petram, ab Autore fidei, & Consummatore ædificata illa est; quæ non sit Romana, nisi vt vel ipso nomine validior evadat: contraq; omnes impetus, etiam tartareos, securissima. Super throno inconcusso sedet Petrus, interque eius Subvicarios *Alexander* Septimus; quorum fides indeficiens est, quia CHRISTI precibus & orationi innixa. Lux demum à celo; doctrina quippe nostris Pontificibus Romanis, jam in Petro *Beatissimis*, non à carne, non à sanguine, sed à revelante Patre celesti. Vt nempe eo triplici privilegio, vel in tuis stemmatis mirabili nexu relucente, intelligant vniversi te revera per omnes titulos Pontificem esse Sanctissimum, perinde & Eruditissimum. IN VRBE NON. AVG. AN. MDCLX.

FRANCISC. BARBER.

EM CARD.

EM.^{MO} PRINCIPI CARD.

FRANCISCO BARBERINO.

ART. POETICAE ADVMBRAT

XIII

ACCEDVNT per te, CARDINALIS EMINENTISSIME, ad Beati Pontificis Mausoleum; Pöeseos propemodum domesticæ obsequia nec peregrina, nec obscura. Quis enim, amabo, vel sacræ iam Familiæ celestia mella, vel incomparabilis genij tui primos quoque gustus delibarit; quin statim intelligat DEVM ipsum eruditioni, haud minùs quàm fidei & pietati, apud vos metatum esse hospitium? Et verò dum post totas passim Disciplinas, è nostris prodeunt tenebris Musarum soboles genuinæ: in Solem vtiquè ambulant, quæ vestra lumina consequuntur. Vt namque cadentis Solis spectantium oculis, vicaria imago subsidit: ita dum in hocce Christianissimo Regno te Beatissimi Patris repræsentatorem, quo de-

cebat Religionis cultu, olim ſumus venerati; avidè venientem expectavimus, præſentem ſuſpeximus, deſideravimus abeuntem. Nemo quippe ſanæ mentis compos, ſecundi à primo Paſtoris, & qui cum Beatiſſimo Patruo ferè alter erat Chriſtiani Orbis moderator, vultum non amavit, ſi vidit: famam non ſuſpexit, ſi audijt; merita & virtutes hodieque non demiratur, ſi vivit. FRANCISC. BARBER.

XIV Nimirum arcana fatorum lege, vel, vt ſanctiùs loquar, celeſti providentiæ dono inter favos & apum alvearia natus eſt, BARBERINE CARDIINALIS EMINENTISSIME, vt ex penitioribus ſapientiæ adytis ſuavitates haurias Platonicis feliciores; poſtmodum vberiori fœnore, in publicum effundendas: atque adeò in ipſiuſmet deinceps Sanctitudinis, & Scientiarum decora refundendas. Id quàm beatè modò experitur Gallia, quæ te per maris procellas reducem ſuis complexa eſt lilijs, vt tu ſoles pietatem & doctrinam; quæ etiamnum ſtupet ad conſtantiſſimæ virtutis miracula; dum ambiguæ ſortis alea

EM.CARD. ostendit qualem & te Roma fecerit, & Lutetia possideat Heroem.

GESTIVIT in ceteris nostra hęc quantulacumque Poëseos superstes vmbra, justis velut parentalibus tibi Barberinæ Gentis simul ac Pontificiæ virtutis in solidum, cum *Fratre* altero munificentissimo, hæredi, si tua patitur purpura, tantisper adhærere. Nec sub eo, opinor velo ingratum erit Autorem, tibi cetera non vno titulo devotissimum; hocce levidensi munusculo ambire & candidissimi pectoris tui sinum, & purpuratæ dignitatis patrocinium. LVTET. PARIS. X. KALEND. DECEMB. AN. MDCXLVIII.

Ad Eumdem.

SVPPLICATIO XV

AGnoscit-ne adhuc vestra clementia veteris sui Clientis ac famuli characterem, animum, cor, affectum; Vestro nomini, Vestrisque meritis per omnia devotissimum? Silui diu, PRIN-

ceps Eminentissime, quia vbiquè tumultus nimij. Lugeo clades publicas, & altè illachrymor pietatis & studiorum iacturis tot inter procellas. Iam verò redditus Lutetiæ in Comitatu Regis nostri Christianissimi, qui me novo diplomate ad veteris Concionatoris exercitium in Aula pridem vocare dignatus est; non distuli diutiùs continuatæ, nec vsquam interruptæ meæ erga vos devotionis memoriam refricare: & si per vos fas est, magis ac magis testificari. FR. ANCISC. BABER.

XVI Quin etiam propemodum, vt solet erga Numen, non abstinebo à *libello supplici*. Porrigo illud ex animo in gratiam P. N. cui ipse autor fui vt incogitatum ab ipso opus bonum, ab amicis verò meis mihi oblatum, ipse aggrederetur. Novi enim virtutem, doctrinam, zelum Hominis illius: qui, si juvatur, plura moliri potest pro Ecclesiæ bono, & fidei amplificatione. Hæc verò mihi semper fuit votorum summa; Dei cultus, Ecclesiæ honos, Romanæ Sedis affectus vsque ad teneritudinem, de-

cus Carmelitarum. Et ſi ex CHRISTI gratia feliciter currentibus, malum neſcio quod faſcinum non occurſaſſet, multa & præclara ex iam inchoatis ſperari poterant. Sed aliter Superis viſum. Quòd verò mearum modò partium eſt, Barberini vultus & oris ipſiſſimis gratijs conſecrati, imaginem intimis præcordijs altè impreſſam, ita colere adnitor; vt nulla vnquam obliuione obliterari queat. LVTET. PARIS. IPSIS CHRISTI NATALIT. AN. MDCLIII.

EM. CARD.

EM.MO PRINCIPI CARD.

ANTONIO BARBERINO,

PHILOCAL. ET ANALECTA XVII

ARcanâ Numinis Prouidentiâ, ætate jam declinante, Romæ deſtinatum nihil me magis illigavit; quàm tua, PRINCEPS CARDINALIS EMINENTISSIME, meum adverſus Ordinem ſincera, & conſtans benevolentia, in me verò humanitas prolixiſſima. Vtram-

que profecto dudum experimur, ſeu cùm antiqua erga nos beneficia novæ protectionis auctuario cumulaſti: ſeu cùm celebrato nuper in Vrbe, noſtro Generali Capitulo, *adfuiſti*, juxta vetus verbum, tanquam è machina DEVS. ANTONIO BARBER

XVIII NAVIGANTIBVS etiam irato oceano, tranquillitatis perindè ac felicitatis auſpicium ſemper fuit, plura illa meteora (ignes Santelmi vocitant noſtrates nautæ) navium malis ac puppibus ſimul inſidere. Fauſtum pariter omen extitit modò in Comitijs noſtris Carmeliticis, te præſertim gnaviter procurante, vnà cum Pontificis Alexandri Septimi autoritate ſanctiſſima, Chriſtianiſſimam ſimul & Catholicam concordiam, ceu publicæ pacis teſſerâ, conſpiraſſe in noſtri Ordinis reparationem, & ſuccuſſæ tantiſper Reformationis ſtabilimentum.

XIX Fuerunt illa quidem à veſtris Apibus in floretis parthenicis, mellis celeſtia dona. Fuerunt & nobis generatim nova, non novi tui erga nos affectus,

EM. CARD. EMINENTISSIME PRINCEPS, pignora vndequaquè certissima. Superaccesserunt tituli plures, qui me nominatim ex ære & libra purpuræ tuæ devinctum propalant. Diu nimirum est ex quo concessum fuit, inter Barberinæ tutelæ Clientes annumerari. Nec Patruo felicis memoriæ Vrbano VIII. Nec Francisco Barberino, Fratri omnibus titulis Eminentissimo, displicuere olim prima SAPIENTIAE MEAE VNIVERSALIS rudimenta. Iam nostris Lilijs insertus; & in Aula Christianissima auctus Magni Eleemosynarij potiori Sacerdotio, non solùm me habes inter domesticos Regis Concionatores tuis infulis mancipatum: sed tam in Hæreticis ad gremium Matris Ecclesiæ identidem revocandis, quàm in alijs plerisque per omnia addictissimum.

XX Profiteor istud candida, id est Gallica fide simul & Carmelitana. Atque vt meæ gratitudinis perpetuum extet Posteritati monumentum, *Tomum hunc tertium, & vltimum*, nostræ scilicet Sa-

pientiæ Vniversalis superpondium; tui Nominis, tuique meriti longè supra communem sortem evecti, tholo pari affectu & reverentia, in annos porro seculares appendo. FRANCISC. BABER.

Plura nempe cùm Volumen istud colligat Scientiæ Humanioris, necnon elegantioris Literaturæ *Miscellanea*, vnicum te prę ceteris Patronum appellat; cui mens est rerum planè omnium capax, ingenium per cuiusvis Disciplinæ etiam subtiliores elegantias perpolitum: humanitas verò, cuius testis Roma, Lutetia, Italia, Gallia, Europa; in omnes ab indole juxta & virtute, benefica & effusa.

XXI

ORDIOR interea à *Religione*, quia salutis exordium & summa est. Meoque illa hîc calculo & calamo *Tripartita* continet Veritatem, Sanctitatem, Pietatem. Veritas subsistit in doctrina, Sanctitas in virtute, Pietas in cæremonijs. Doctrina, docet quid credendum sine errore: virtus, quid agendum sine crimine; Cæremoniæ, quid observandum sine superstitione.

EM. CARD. Credenda includit fides, agenda moralis, cæremonias disciplina. Veteres eodem planè significatu appellant notitiam, λατρείαν; hoc est servitutem, officiaque sive ministeria. Vnde illi inter Mortales qui res ad cultum Numinis spectantes diligenter pertractant, & quasi relegunt, dictos Religiosos retulit pridem Tullius. Nomenque Religionis est qui dicat ex eo oriri, quod Homines ad cultum divinum regat. DEVS, quippe, quod scribit pereleganter Christianæ Eloquentiæ Cicero Lactantius; *intelligi debet, quod est Sapientiæ: & honorari, quod est Religionis. Priùs enim* DEVM *scire, consequens colere. Coli autam oportet*, subiungit Augustinus, *quomodo seipse colendum præcepit*.

XXII Istud igitur quidquid Religionis est aggredior hocce triplici conatu, pro mearum virium modulo, explicare ac demonstrare. Veram propterea vnamque ostendo evidenter, contra Atheos & Idololatras: Christianam-Catholicam adversus tum Iudæos, tum

Hæreticos & Schiſmaticos; Sanctam & Myſticam hinc ab infami impietate, illinc à nugaci ſuperſtitione credo non perfunctoriè vindicatam. ANTONIO BARBER.

QVIA porro perſuaſionum efficaciſſima exemplum eſt, commodùm occurris, ANTONI CARDINALIS EMINENTISSIME; cujus vita per omnes gradus probitatis emendata, ideam delineatæ à me Religionis perfectiſſimam omnium oculis repræſentet. Decus enimverò Barberinis gentilium eſt, *Pietas*. Illaque in te nominatim inclareſcit dotibus ad noſtræ ætatis gloriam, poſteritatiſque famam conſpicuis. Vt enim in magnanimitate & munificentia nullos tibi pares inveniri, palam eſt: ita in fidei zelo, in Eccleſiæ amplificandæ ſtudijs, in tuenda Aſcetica diſciplina, in egenis vſque ad prufuſionem ſublevandis: in Eruditis, & quovis titulo Inclytis, per continua beneficia devinciendis; in omnium deniquè virtutum cultura, ſeria æternitatis meditatione, ſuperiorem te neminem haberi vox ipſa pu- XXIII

blica, vel tacentibus nobis proclamat.
IM. CARD. Si cui verò tantiſper indulgeres ſinceri pectoris arcana, altoſque cogitatus pro DEO, pro Eccleſia, pro Pontifice Sanctiſſimo, pro Chriſtianiſſimo Rege: pro rerum caducarum deſpectu, & præcipua celeſtium ambitione, quàm papæ! obſtupeſceret ad hæc inter Homines rara: inter verò Aulæ delicias, primoſque honorum apices inſueta, admiranda, deamanda?


XXIV SVNT iſta porro, VIR MAGNE; quæ me ſupra ſtemmata, ſupraque purpuram ipſam rapiunt, non in tua, ſed in teipſum vel admiratione non quotidiana: vel, ſi permittis, amore ad omnes nutus obſequentiſſimo. IN VRBE KAL. OCTOB. AN. MDCLX.

PANPHIL.

EMINENTISS. PRINCIPI CARDINALI PANPHILIO.

VEstris jam cumulatus beneficijs discedebam Româ, cùm nova à vobis gratia vivere me, & mori cogit ingratum. Quasi enim satis superque non fuisset Innocentij X. munificentiæ, me tantillum benevolentia singulari palam prosequi, Ordinem Carmeliticum eximia protectione tueri: natamque inter nos Rhedonis Observantiam, optatis omnibus confirmare; *duo* adiecit, quibus Sanctissimæ Sedi, Gentique Pamphiliæ ex ære deinceps & libra mancipatum me æternùm profiteor.

GRATITUDO XXV



EXIMIAM profecto Sanctissimi beneficientiam non possum non agnoscere, dum vltimo benedicens donavit me *Cruce aurea*, Reliquijs oppleta pretiosissimis. Quin mira vrbanitate, adjun-

EM.CARD.

xit *diploma*, per quod, illibato paupertatis voto, hocce Pontificis donativo frui conceditur. Istud verò per tuas manus, ad me voluit deferri. Et quia iam commiseram me itineri, mittere dignatus es per nobilem Domesticum, cum tua ad me Epistola, CARDINALIS PRINCEPS EMINENTISSIME, omnibus elegantijs abs suavissima humanitate tua condita.

Coacervatis tot simul beneficijs gratias referre quas debeo, cùm nequeam, quippe meo pauper in ære: accipies quas possum, quia es optimus. Interim pignus Pontificiæ beneficentiæ, servabo toto animi affectu; quem Romæ fidei meæ & obsequij vadem reliqui, iterumq; atque iterum transmitto.

VITERB. IX. KALEND. OCTOBR.
AN. MDCXLV.

CHISIO

EMINENTISS. PRINCIPI

CARD. FLAVIO CHISIO.

LIBVM CONCION. XXVI

AVOCARE TE, PRINCEPS CARDINALIS, ab Orbis cura, ducerem Religioni; nisi Religio ipsa, id mihi munus imperaret. Patruo nempe tam carus, quàm similis, collaboras in regunda Ecclesia-Romana; hoc est, etiam Pauli stylo, Catholica & Vniversali. Dudum verò est, ex quo supremi hujusce Solij mancipium me palam profiteor. Gratumque modò fuerit, inclinante jam ætate: & ita demum disponente Supremi Numinis providentiâ, ad pedes Sanctissimi ALEXANDRI meæ vota servitutis affectu verè Christiano, sincerè Catholico perennare. Quod dum meditor deliberatiùs, lubens intellexi Patruum non ritè adiri nisi per Nepotem. Aequumque revera perinde & fortunatum, tali ac tanto

EM. CARD. Ephestione viam nobis patere ad Alexandrum. Tot nempe naturæ & ingenij dotibus sublimem te referunt, qui per te ad Pontificem eunt: tanta porro clementiâ, humanitate, prudentiâ, generositate exornat te fama publica; vt si natus non esses Chisius, mereteris adoptari: & si Flavium non haberemus apud Fabium, non alium illi Nepotem optarent Vniversi. Incedo igitur publico itinere, dum ad te accedo: & per te, PATRONE EMINENITISSIME, enitor ad totius Christianitatis Sacrarium.

VERVMENIM quia nec Numina præsertim adire fas est manibus vacuis, dum CHRISTI in terris Vicario Studiorum meorum anathema consecrare pridem animus est; & tibi quoque libum ante offerre, pretium fuit. Nimirum ætatis meæ, & vigiliarum partem maximam sibi Conciones Ecclesiasticæ vindicarunt. Atque vt eas habui Lutetiæ per annos triginta continuas, frequenter etiam in Aula apud Christianissimas Maiestates; lacessivit me hîc non semel Romana pietas di-

cam an curioſitas, cupida explorare CHISIO
Artem in noſtra modò Gallia Concionatoriam; quam vtiquè ſummos iam Chriſtianæ apices Eloquentiæ tenere, nec fermè Exteros noſtratibus invidere, ſciunt qui aliquid ſciunt.

Quid enimvero facerem vrgentibus XXVII
tot Conſpicuis, tot Litteratis, tot Prælatis; tot etiam deniquè Purpuratis? Reſtiti tamen hactenus, quia impar humeris onus imponi ſentiebam. Grave deinde erat Gallicam Eloquentiam in meis manibus, & calamo periclitari. Verebar præterea invidiam, nec de nihilo, ſi Gallos & Italos Concionatores committerem. Meæque tandem conſcius tenuitatis, tantum abeſt vt Ideam Concionum emendatam poſſim polliceri; cui ſatis ſuperque fuit, in ima Prædicatorum cera locum fortaſſis vltimum obtinuiſſe. Præterquamquod robur & venuſtas, ſi quæ ejuſmodi decora habent noſtræ Conciones, hærent tenaciùs vernaculo Idiomati: quod quidem à pleriſque ex iſtis in Vrbe Vrinatoribus, non ſatis capi-

tur vt delectet, & persuadeat. Gallicos autem Sermones veste Romana induere, vt illis collibitum fuit, non solùm plenum opus aleæ: sed nativæ etiam pulchritudinis, & ἐνεργείας si non integram jacturam, saltem grande dispendium nemo hujusmodi rerum peritus inficiabitur.

EM CARD.

XXVIII LIBVIT nihilominus experiri, majori certè fiduciâ obedientiæ & amicitiæ, quàm Eloquentiæ. Vt enim illa vtraque cœca, ita & felix; non peccans scilicet, nisi jussu alieno. Ejus itaque ductu selegi, in CHRISTI honorem, tot Conciones ex iam Gallicè plusquam semel evulgatis, & plerasque Regijs auribus recitatas, quot annis vixit inter nos IESVS, fidei nostræ autor & consummator: idemque Primarius, & revera Summus Pōtifex Ecclesię Christianæ-Catholicæ-Apostolicæ-Romanæ. Quibus sanè titulis tibi, EMINENTISSIME PRINCEPS CARDINALIS, & per te Beatissimo PATRVO ALEXANDRO VII. à me prælibari erit, credo, dextrum Numen; quia si annuis, felix

est auſpicium. IN VRBE. V. KAL. NOVEMB. AN. MDCLX.

MILLINO

EMINENTISS. CARDINALI IOANNI MILLINO, ORDINIS CARMELITARVM

Protectori Sapientiſſimo.

DE VESTE SACR. ET MONAST. XXIX

NE me quæſo injurium putes in tuam purpuram, CARDINALIS PROTECTOR EMINENTISSIME, ſi privatus homo tam exilis gratificatione munuſculi immenſa tuæ protectionis in Ordinem vniverſum beneficia, pro virili parte aggredior remetiri. Indigna certè Opella, non diffiteor, quæ vel purpuræ, cujus ſplendore permirum quantùm exornaris: vel eximijs virtutum ornamentis, quarum claritudine Senatoriam Eccleſiæ purpuram illſtras admirabiliter, debeat nuncupari; ſive hoſtia illa ſit, donec periclitabitur veritas: ſive poſteaquam vicerit, à

victore oblata victima. Nam enimverò si expectassem semper à mea tenuitate fastigio tuo dignum munus, solvendo nunquam fuissem. Immò verò cum vinceret linguæ & officium calami, continuatæ erga nos benificentiæ magnitudo, tuarum (quod pulchrè de DEO sentiebat Philo Iudæus) *Gratiarum antiquissima bonitas*; quotquot sunt mecum vitæ Carmeliticæ Professores & vivere,& mori ingratos, licèt maximè invitos, coegisset.

EM. CARD.

Nam vt nostri ceteris reliquissent pro munere rarissimæ pietatis tuæ,eruditionis, sanctimoniæ, prudentiæ, integritatis: ac ceterarum, quibus potissimùm emines, virtutum præconia; quis tandem ex omnibus Carmelitis, qui quâ Oriens patet, quâ Occidens, tam felici patrocinio speciali clientela addicti esse gloriantur; jugem animi sollicitudinem, ardentissimum Reformationis zelum quo vniverso Ordini nostro, nobisque præsertim amicissimè invigilas: ad hæc prolixam in singulos benignitatem tuam, debita confessio-

ne in publicum potuiſſet teſtificari? MILLINO
Hoc nempe duriſſimum noſtræ Familiæ impoſitum à te onus eſt, vt quamvis vniverſi in tuis ſtudijs allaborent; priùs tamen fatigentur voces ſingulorum, quàm tua in omnes merita exhauriantur. XXX

Dvm ergo ſilent in Gallijs præ reverentia, non modica Religioſorum turba, qui ſub felicibus protectionis tuæ auſpicijs in obſervantiori Carmeli cultura, annis abhinc viginti Deo mirabiliter adjuvante creverunt, meliori aliquando facundia ad poſteros tua merita delaturi; ecce interim è modico gratiarum penu, gratulatiò erumpit. Sic vt auſu nimis fortè temerario, obſequij tamen & verecundię pleniſſimo; mea hæc Scriptio qualiſcumque *de Veſte Religioſa*, & omnium, & meo privatim nomine, tuam nimirum dignitatem pergat ſalutare.

Nec ingratum erit, opinor, ſacram Purpuram coli à me hoc meo, in prima ætate, Muſarum donario. Nam & animadverto Veteres in priſca θεογονίαις

Dijs, Sacerdotibus, Principibus, & E-
EM. CARD. ruditis Viris non thus Arabiæ divitias: non ingentes auri cumulos, non cetera pretiosissima dona, quibus Mortalium cupido nomen fecit & existimationem: sed folia dumtaxat & flores, veluti primam pubescentis naturæ Lanuginem, solitos offerre. Non secus licet eminentiori gradu subvectus liquidiori voluptate perfruaris, haud tamen ingrato vultu respicies primigenium istud nostri laboris munusculum; quasi naturæ primitias, tuis meritis singulari devotione consecratas. Eritque ad illius commendationem abundè, si attendit clementia tua *non quantùm, sed ex quanto*. Docente præsertim cùm divinæ Maiestatis exemplo, tum verò insinuatione Magni illius Nazianzeni; *largitorem non oblato rei pretio, sed offerentis affectu & facultate esse metiendum*.

I Atque vt mihi à te, non à me tibi beneficium erit, PROTECTOR AMPLISSIME, oblatum munus bono animo excepisse: ita (si non sit inurbanum) pro donario donativum: cetérisque hacte-

nus beneficijs auctuarium, ab ingenita tibi munificentia audebo postulare. Vti nimirum autoritate quâ polles in Ecclesia, adolescentem in his Partibus per vitæ regularis incrementa Reformationem, quæ iussit hoc donarium non alijs quàm tuis tholis appendi; velis, quod hactenus fecisti, naviter tueri. Adeoque huic labori meo non tam pro *Vestium colore* tuo nutu demutato, quàm pro Meorum Reformatione tuo jussu, & singulari patrocinio paulatim efflorescente, non dedigneris gratanter patrocinari. Nam ò me felicem! si vt olim Octavius ille, Alexandri imagine vtebatur pro sigillo: ita impræsentiarum clarissimo Protectoris amplissimi nomine obsigillatus hic Liber, *Typum præferens Vestis Religiosæ*; publicum extiterit erga Tuam Eminentiam nostræ servitutis sigillum, simulque vivacis semper obsequij mei perenne monumentum. Vale, & vive. Ita enim ex animo vovet, & Deum suppliciter precatur.

RHEDON. XV. KALEN. MART.
AN. MDCXXV.

EM. CARD.

EMINENTISS. PRINCIPI IOANNI ARMANDO, DVCI RICHELIO.

PRO VIND. IO-HIERO SOLYM. II

FAtigaſti pridem, EMINENTISSIME CARDINALIS, Mortalium ingenia rerum à te geſtarum magnitudine. Iamque attonitus terrarum Orbis, veluti erga Numen, non alio quàm ſilentij cultu laudibus tuis operatur. Dixerunt in ſeculo Viri vtraque eruditione politi, adnaſcentem inter Lilia geniturã ea Gallico imperio portendiſſe miracula; quæ anteacta ætas ignoravit, præſens intuetur, ventura ſupra fidem demirabitur. Prima raræ indolis tuę rudiméta Lutetia ſuſcepit, ſuſpexit Roma; vtrumque theatrum Orbis ampliſſimum: ſed adoleſcentiâ tuâ minus, nec tum quidem orienti gloriæ ſuffecturum. Nihil deinceps intactum in divinæ virtutis commendatione. Sed omnes Muſarum & eloquentiæ conatus, tam infra Emi-

nentiam tuam, quàm eminet ipsa supra reliquos mortales. Ætatem Infularum decus, Purpuram merita anteverterunt. Post tantillum, auspicatumque, vt in Sole deliquium, splendores restituti & aucti. Mox ingens, eaque series miraculorum continua. Pacatæ res domesticæ. Numinis, Majestatisque perduelles, posito præter naturæ leges æstu maritimo, apud Rhesiam debellati. Rhea, plusquàm semel propugnata: fusæ, fugatæque Anglorum copiæ: frænati fluctus, captivus Oceanus, excisa Rupella, profligata hæresis: bis Alpes superatæ, sua Principibus fœderatis jura, totique Latio libertas vendicata. Invidorum insidiæ, Autoribus suis capitales: receptum Nancæum, Lotharingia postliminiò Liliis suis annexa; Imperij majestas æqua Lance librata: Brisaci, Attrebati, Perpigniani, sparsa vbiquè trophæa. Quid multa? Quod alij cogitatione vix assequuntur, & facili, & felici ausu executus es.

IOANN AR MANDO.

XXVI.

DEI primùm ter optimi, Regis deinde ter-maximi hæc fuere miracula. XXVII.

EMIN. CAR DINALI

Sed quod Imperatoris noſtri ſecundùm DEVM, virtuti, ac felicitati debemus; id totum in ſapientiſsima exaggeratæ mentis tuæ conſilia, jubet ipſe refundi. Sic nimirum Orbis moderator DEVS, præcipua quædam allegit poteſtati ſuæ *inſtrumenta*; quibus celeſtis, & terrenæ molis Rempublicam vel primò fundavit, vel poſtmodùm lege perenni adminiſtrat. Solem contemplamur æternis globis incluſum, ita curſu ſuo & influxu rebus noſtris neceſſarium, vt ſi ſemel extinguatur, vivere ſit nefas. Ita Invictiſſimus Ludovicus temperata infra DEVM majeſtate ipſum nobis repræſentans, quia à noſtro DEO conſtitutus; ſtatim te ex veteris Theologiæ ritu, Sunnavum, conſortemque aſciſcit: & vt vocat in ſollicitudinis partem, partem gloriæ & celebritatis avet impertiri.

Hactenus in Europa non indebitis verborũ ſacrificijs, Aris etiam ex Oratorio dedicatis, Genio tuo litatum fuit, VIR PER OMNIA MAGNE. At jam conticeſcit religioſa ambitio, ſatis intelli-

gens poſt exhauſta vniverſorum enco- IOANNI ARMANDO
mia, nihil admodùm in laudibus tuis delibatum. Nam vt à Solis imagine minimè recedamus, qui radios illius demirantur, nativum ſplendorem ignorant; quem idcirco compreſſis digito labijs, Veteres adorarunt.

Neque profectò mirum jam videri debet, ſi arcanis ſilentij myſterijs accedunt ex opaca Carmeli ſolitudine olim Eremitæ: hodièque domeſtico ſilentio dediti, ſed dudum publicis tabulis illuſtriſsimo Nomini tuo conſecrati. Pars eſt minima Eccleſiæ illius Catholicæ, à cujus purpura vix plus accepiſti decoris, quàm quotidiè rependis ornamenti. Adeò non indignum putat capaciſsima mens, ſingulas tum Eccleſiaſtici, tum politici corporis partes protectione ſua vegetare, autoritate defendere, liberalitate fovere. Quaſi æmularetur generalem illam Mundi *animam*, quæ rerum vniverſitati vitam inſpirans; ita potioribus membris inſidet, vt etiã per tenuiſsima naturæ ſegmenta feliciſsimè diffundatur. Nu- XXVIII

EMIN. CARDINALI minis instar de quo perpulchrè subtilissimus Synesius, παίντως δ᾽ ἀγ πάντων ἥκων ὀφθαλμὸς; animo pervadis omnia, judicio penetras, occupas ingenio, acumine distinguis: & suavi rerum dispositione, à carceribus attingis ad metam sapientia prorsus incomparabili.

XXIX. IAM à quadraginta annis, & ampliùs, instaurata Rhedonis in Britannia Minori-Gallica, Carmelitarum Reformatio, sub Imperio Henrici Magni, Eminentissimique tunc Cardinalis Iojeusij protectione, iterum in tuæ purpuræ sinum vltrò concessit. Seu cùm Carmelum Andegavensem clarissimis vestigijs decorasti, Iuliodunensem arâ DEIPARAE miraculosâ nobilitasti. Seu cum Superioribus annis me ex Apostolica in Aquitanis missione advocato, nostram Turoniæ Provinciam in ipso Lutetiæ gremio abs te collocatam, jam in majoris Conventus paraturam solemni autoritate jubes evocari. Fecisti, VIRORVM EXIMIE, CARDINALIVM MAXIME, fecisti, vt tanta oppressi beneficiorum mole, solutioni impares æter-

na damnemur ingratitudine, nec tamen erubeſcenda; quando ampliſsimum, erga omnes Richelij Ducis patrocinium, tranſmittet in annos porrò ſeculares.

IOANNI ARMANDO

Redimus tamen in Majorum divitias ac titulos, vt grata ſaltem animi teſtificatione poſteritatis conſcientiam liberemus. Tandemque exoritur Belgicis etiam oris advectus, famoſiſsimo nomine IOANNES XLIV. primùm Carmeli alumnus, Hieroſolymitanæ deinceps Eccleſiæ Patriarcha; qui per noſtri *Vvaſtelly* magni Viri manus, vigiliaſque, pro immortalibus tuis adverſum ſuos Carmelitas beneficijs, gratias offerre geſtit vtiquè immortales. Quanquam, quæ ſpes corda titillabat, iam fefellit.

Nam enimverò novum ſibi, ſuoque Ioanni patrocinium Carmelitæ hoc ſupplici libello deprecantur. Scilicet perbeatè ſecum agi exiſtimant, vt qui ſanctimoniæ & eruditionis vindex es, qui belli, paciſque in Orbe Chriſtiano ſedes arbiter: qui Exterorum tyrannide oppreſſis Principibus, tutelam procuras

EMIN. CARDINALI

ac ſalutem; reſtituas innocentiſſimo Eccleſiæ Orientialis Principi famam, Epiſcopo eruditiſsimo integritatem: & per ſummam vel ignorantiam, vel invidiam, à pleriſque hominibus oppreſſo libertatem.

QVOD ſi primùm è ſitu & tenebris in apertam lucem nunc prodeunti, Amādi Præſulis, nec non Armandi Richelij purpura ſplendoris ſui radios tantiſper inſperſerit; non dubium eſt quin diſpulſa tot ſeculorum & hominum caligine, novum ſidus ætati noſtræ credatur illuxiſſe. Iamque geminatâ Carmelitarum clientelâ, novo acquiſitionis Iure in EMINENTISSIMI CARDINALIS dominium concedentes; votis apud DEVM aſſidui pro ſoſpitate, precibus pro incolumitate, Omine & Augurio pro felicitate nunquam intermoriturâ;

Te veniente die, te diſcedente canemus.

LVTET. PARIS. PRID. ID. SEXTIL. AN. MDXXXIV.

IOANNI ARMANDO

Ad Eundem.

QVamdiù, DOMINE, abes Lutetiâ ad certissimas semper victorias, examinavi non levi manu quæ in discessu præscripseras. Currum expecto, de quo tuo nomine monuit me per epistolam I.E. Antissiodorensis: eoque pergam quàm maximâ potero deligentiâ, de cunctis rationem redditurus. Interim Commentaria præmitto sive quia ita scribitur tibi placere, sive vt satisfaciam indoli tuæ haud minùs veloci quàm eminenti: sive quia meum istud examen, tua longè severiori censurâ attentiùs lectitando, examinari gratissimum erit juxta & honorificentissimum. Sed & placuit *latinus, stylus* quoniam non tibi displicet, illum longioris Epistolæ compendium duxi; & prima quæ trutinæ incurrerunt, majorem partem Autor Gallus latinè edidit. Interest denique non parum famæ

SCRIPTA TRIA EXAMINATA

L

EMIN. CARDINALI

tuæ, nostra hæc amuleta invulgari Batavis; ad quos etiam virus Philothei, sub Eminentissimi nominis tui nuncupatoria penetravit. Vt igitur quod sentio dicam quâ soleo, & jubes ingenua libertate; *duodeviginti Libellos* potiùs, quàm Libros, vnius illius Scriptoris vidi, legi, recognovj: deque ijs omnibus, in vltimo quem typis effudit, sic statuo.

Libelli plures.

II. AVTOREM, quē vidj non plusquam semel in villa tua, vix attingo, sua illum loquela manifestum facit. Aetas jam videtur provectior, genius sonticus, ingenium prudens & subtile: mens molestia aut tædio aliquo exulcerata, nec parum tumens opinione sui. Mores divino probos, modestos; quales demum affectant in nostratibus Heterodoxis, reformatissimi. Callet, opinor, jura partium; quibus facit se Mercurium, projectu hujus istius caducei. Hominem credo cumprimis studiosum, meditatamque ab eo Concordiam fœtum esse laboris diutini & obstinati. Aut fallor vehementer, aut mirè illi placet sua hæc catena; quâ adnititur Arcam

Ruelliana.

&Idolum iungere, CHRISTVM & Be- IOANNI ARMANDO
lial ſub vna æde retinere . Certè nunquam magis mihi viſus eſt hæreticus, quàm cum hoc inſolenti glutino celũ & terram aggreſſus copulare. Facinus ille, ita me Deus amet, turris babylonicæ caſſo conatu renovat; adeoque jam corruit temeraria moles . Falleret fortaſsis primâ fronte Libri titulus, ſed incautos dumtaxat; qui neſciunt ſub roſa latere aſpidem, & virgam illam Mercurij non ſociaſſe niſi colubros. Nunquam porro illic coiſſent Serpens, & Columba.

ET planè vnionem moliri Eccleſiæ cum Factione hęretica, quid quęſo aliud III.
eſt quàm polum vtrumque, orientem, occidentemque connectere: Mezentii ſævitiam æmulari, *Qui mortua iungebat corpora vivis*? Vel ſola ejuſmodi dementia Hominem arguit otioſum & vecordem, fętum chimæris & ineptijs; vno verbo, ad paradoxa audacter temerarium . Profectò non alia relinquitur Catholicis, & Calviniſtis concordia; quàm quâ flumina ſubeunt mare, &

EMIN. CARDINALI tenebræ ortu Solis vanescunt. Decantatam cantilenam, exoletamque industriam vel pueri despuerent. Scientque peritiores nusquam produci hanc larvam, nisi sub hæreseon incunabula, fata-ve vltima. Ea arte jam mucidâ, Orbi olim conati sunt illudere Manes, Arius, Pelagius. Eandemque scenam appararunt nuper Erasmus, Cassander, alijque eiusdem farinæ. Non dispar Sartoris nostri temeritas, similisque successus. Agunt nempe fabulam, & totum se deridendos propinant. Quid enim, te precor, ridiculum magis? Non vocati ingerunt se Conciliatores, non missi Oratores agunt. Ipsi sine DEO, sine Lege, sine Rege vltro constituunt se fratrum Iudices. Regulos illos dixeris, qui dum neutri Potentiorum aperto Marte, adhærent, opprimuntur tandem ab vtroque.

IV. Sensit quod dico anno poximè elapso, novus scilicet Conciliator. Exclusùm primò ovum illud non columbinum, sed colubrinum, projecit Catholicorum despectus. Nec fuit in no-

ſtris caſtris, qui novum Fecialem vel auſcultare dignaretur. Immo invaſere ſtatim acriter Molinæus & Rivetus Ajaces duo,duoq; Neſtores in agmine Neotericorum;qui ſe tam falsò nuncupant Reformatos, quàm ſtultè à novo iſto verborum & pacis Sarcinatore Evangelici appellantur. IOANNI ARMANDO

V. IGITVR triplicem præcipuè cenſuram, meo judicio, meretur ineptus iſte Philotheus. I. Non toleranda vanitas Hominis, qui Eccleſiæ CHRISTI vnâ & Sectæ Calviniſticæ nexum, & commiſſuram comminiſcitur. Scilicet ſimul decumbent Virgo caſtiſſima, & Lupa. Recordaris DOMINE, propudiũ vetus; quando vbi CHRISTVS IESVS natus & ſuffixus fuerat, collocata à profanis, Veneris & Adonidis Idola? & ſcelere conſimili, inquinat ſe modernus Caduceator;

II. INSOLENTIS audaciæ parens eſt novitatis prurigo, quâ laborant quotquot nothos & degeneres habet Eccleſia.Papæ, quam ridiculum! Burdones videas & Bardos in Eccleſiaſticis æquè

& Politicis semper inquietos, novitatumque ardeliones avidissimos. Nec otiosè observatum à me est, vt nulla in Physicis fit corruptio sine nova genesi: ita ex cujusvis Hæreseos sanie & pure, semper verminare vel impietatem, vel licentiam, vel errorem aliquē fanaticum. Ea Sartoris vomica, ea Caduceatoris ægritudo. Expirat pridem sub Lodoici victricibus armis, tuisque, CARDINALIS EMINENTISSIME, sapientissimis consilijs, factio Calvinistica. Vitam repastinare tentat novus Aesculapius. Cadaveri animam afflaturum se præsumit, si concordiam promittit, si harmoniam molitur.

Regiæ sanè autoritatis est hoc monstri genus, vel in ovo elidere. Nec debet Respublica Religionis, aut πολυτείας innovatores non castigare. Cantat extra chorum, qui CHRISTVM & Calvinum facit concentores. Heus tu Chorage non benè musicus es, qui Lutheranos juxta & Calvinistas vocas Evangelicos. Quid? Discrepant-ne fides & Evangelium? Visus-ne vnquam ali-

VI.

quis Evangelicus, non Catholicus? Quę ilta novitatum ſpectra? Quæ, Deus bone, nominum portenta? IOANNI ARMANDO

VII. III. ARGVITVR poſtremò in nupero Scriptore, mera battalogia. Enimvero is Hæreſeos, inter ceteros, character eſt; *Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus*. Novus bambalio hactenus inaudita, incognita pollicetur, non dat niſi inania. Gnotiſtarum, Valentianorum, Novatianorum, Beguinarum & Beguardarum æmuli, legi avent, non intelligi: amant nubes, caliginem, ænigmata; inſtarque Loliginis in mari, effuſa ſtyli nigredine, quærunt latere, timent agnoſci, timent deprenendi. Edocti ab Angelo tenebrione, abdunt ſe in noctem denſiſsimā. Vano futilis famæ aucupio, vt dum non capiuntur, vulgo credantur prophetæ & θεοδίδακτοι. Eius ſtigmatis eſt noſtras iſte Cōcordię Repaſtinator. Verè λογοδαίδαλος verè λυξίας totus latebroſus, totus tenebricoſus, *vt ſagittet in obſcuris rectos corde*. Crederes in theatro actorem primarium eius comediæ, cui titulum dedit Poëta, νέφελαι

EMIN. CARDINALI

VIII. Sive nativa sit Homini, sive affectata eiusmodi obscuritas; involvit sanè Scriptoris sensus, verba, consilium. Ad quē scopum collimat, non liquet. Prostat in vestibulo concordia, domi tumultus, & omnia susdeque. Esaü dixeris, aut Ismaëlem, pugnat contra omnes, ab omnibus impugnandus: tandemque, non dubito, obruendus; nisi meliora illi DEVS, vt spero & voveo, consilia inspiret. Atrium totum propè ædificiū est, & corpus tantumnon æquat capitis moles. Præfatur prolixissimè, & ad fastidium Theses proponit: sed planè cōfusas, & implexas. Probationes folia Sybillæ sunt, scrupi & gryphi; vsqueadeo egent Doelio natatore. Puteus est Democriti, non qualis in Scriptura; *viventis, & videntis*. Postremò nec sancita pace, nec reportatâ victoriâ sibimet clamat io triumphe. Quas laurus, quas palmas sit demum relaturus; divinent alii, ego non præsagio nisi mustaceas.

IX. Non dissimulabo interea, animum præsertim exulceravit nuncupatio. Non feroin ignobili Lalario, tantum Tutelarem fimetis, limo, & cœno inscribi

divina nomina ſemper fuit nefas. Votiva donaria videntur vocare Iovem ipſum in partem vel furti, vel impietatis, vel ſacrilegij. Alexandro Sculptorum, & Pictorum delectus erat, pro ſuis iconibus; nec collocari ſuſtinebat niſi in thalamo, aut pulvinari. Nomina ſimilium tibi, DOMINE, majorem cultum merentur; quàm vt ſumantur promiſcuè, & in vanum. IOANNI ARMANDO.

DOCTRINAM, & ſenſus denotat eadem ferula. Scriptor ſanè quærendus ad lucernam, ſuis in Scriptis: dubitoque vehementer, an quid ipſe velit ſatis aſſequatur. Quam ego indolem obſervo dudum in ijs qui ab ingenio ſubtiliori, proſapia aliquali. ſpe, vel inanitate; ſua ſomnia venditant, ſtudent mendacijs, aut famæ velificantur. Hanc excolandi venena mangonariam, quidni didicerit à ſuis peritis in arte, Calvino & Molinæo. Vtiquè Erynn is, potiùs quàm Irenæus. Pacem & concordiam ſpondet. Volumen, nexum & vnionem nemo videt. Punctum eſt iſtud centrum, ſed quale Archimedis, aut in linea, oculos fugit. X.

EMIN. CARDINALI

XI. Enim verò quemadmodum, vt Plinianum istud vsurpem, nullus *Liber* tam malus vbj non sit aliquid boni; fateor in hac iliade plura reperiri, non illaudanda. Vt vt sit Opificem minùs carpo, quàm Opus: consilioque Autoris veniam, si quam meretur, non invideo.

XII. Stylo vt parcã, facit Religio; cui cura verborum minima est. Dicam tamen paucis, quia scio à te requirendum. Latinitas probabilis est, sed σκότινος & inæqualis. Interdum meditata, sæpè etiam cum delectu & ornamento erudita: sed penuria, & egestate emaciatur.

XIII. Ad extremum, Scriptoris conatus omnes conijcio fore admodum irritos, vtinam citra noxam & damnum! Nam Ecclesiam dum satagit vnire, dividit: Hæresim dum putat secare, colligat. Ac nisi V. E. mens & oculi prævideant & pervideant, vt solet, quæ nullus Mortalium; danda credo opera est, vt intelligant vniversi, Eminentissimi nominis tui perperam in titulum abs Cõ-

cor-

cordatore emendicati; integritati, aut famæ nihil prę iudicatum. Ideoque lubens feram mecum, noſtrum de *Vera Religione* Apparatum per tuam, vt juſſeras, abſentiam latinitate donatum; cui & ſi typis mandari pergis imperare, inſcribi nomen Eminentiſsimi Richelij, erit ſanè glorioſum. IOANNI ARMANDO

NOVA DOCTRINA.

XIV.

NOvitati ſuccedit novitas eò ingratior, quò ſanè periculoſior: oriturque illa à Viro, veteri neceſsitudine mihi cojunctiſsimo. Nec diſſimulavi primùm à te, DOMINE, ea ſuper re interrogatus. Amicitiam faſſus ſum, ſi minùs decumanam, ſaltem decennalem. Subiunxi in moribus nihil vnquā mihi viſum niſi innocens, plura verò eximia. Doctrinam quouſque diu ſuſpexerim, deinceps etiàm cum aliqua ſuſpicione, liberè edixi. Intercalandæ tamen mutuæ & ſuetę inter nos con-[illegible]rſationis cauſa fuit non probitas illius, apud me ſecura: non doctrina, nondum ſeriò examinata; ſed neſcio

quæ indoles in illo latebroſa, genius anceps etiam in minutijs: & fortè per tenebras ad lucē affectati calles,& cuniculi.Latibula fateor iterum atque iterũ à me alieniſsima,candorē amari plurimùm: quidquid in Religione,ſtatu-ve politico novitatis eſt, nimiæ in amborum myſterijs & arcanis curioſitatis: quidquid olet hypocriſim, ſuperbiam, factionem, æmulationem; odio à me haberi, cane peius & angue. Amo ſublimia, ſed ſolida: rara,ſed perſpicua; miracula fero, non monſtra.

XV. OBSTVPVI deinde ad *delationes*, quas vt examinarem dudum juſſit V. E. Eoque magis quod ſcivi,etiam antequam moneres,factas à *Præſule* non ſolùm meritiſſimo: ſed quem vidi ipſe meis oculis,delato & accuſato ſupra fidem olim amiciſsimum. Sed propterea non iniuſtè incarcerato, vltimam litem intentare; ita profecto mihi videtur anceps & lubricum, vt iterũ genuflexus, quod feci in Ruellij pomerio ante diſceſſum, iſta extrema deprecer omninò. Novi genium Hominis generoſiſsimum,

certè obſtinatiſsimum. Pollet amicitijs, & quidem inſign oribus. Favet illi apud vulgus fama pietatis non modica, nec vulgaris. Habent vniverſa hæc, ſuos quoque Martyres: nec periculoſius quicquam fuerit, quàm fidem & conſtantiam præſumptæ Religionis, aut affectati dogmatis, experiri per ſupplicia. Mors quippe generosè ſuſcepta & admiratores facit, & ſectatores: Creſcuntque aliquando Sectæ, ſicut & Eccleſia, per ſanguinem & cruorem. Proceſſum, quod juſſerat V. E. nondum mihi Iudices communicarunt. Aio tantùm cautionem in iſtis, nunquam haberi nimiam. IOANNI ARMANDO

XVI. HAEC liberè, reverenter tamen; quoniam vera ſemper audire gratum teſtatur V. E. Satiuſque puto aquam, præ oleo, veſtri zeli flammis affundere. Eſto enim ſit ſemper, vt eſt, juſtiſsimus; ſumma tamen clementiâ nunquam non condiri, o quantum, & quantum intereſt!

EMIN. CARDINALI

DEVOTA ATTREBATENSIS.

REstat ex demandatis istiusce modi, examen Puellæ illius *Atrebatensis* ; cui iussus à sua Maiestate, Vestraque Eminentia, vacavi non oscitanter, tres & ampliùs menses. Adiuncta hîc Adversaria quæcumque sigillatim observavi, fusiùs renunciant. Contra-
XVII. hit paucis præsens Epistola.

AETAS Puellæ circiter quadragenaria, ingenium à natura mediocre, in gratiæ donis vix tantillum. Virtus certè modica, & si porro tentaretur, sublesta & fragilis admodùm. Neque illam puto pietatem per hæc insueta nundinari. Sed assuetam se ipsam audire, & imaginatis credere ceu revelatis: intervenire sæpiùs & Dęmonem, magnum Ludionem & stropharũ artificem.

Patres Iesuitæ & nostri scripserunt Atrebatis, natam illic Puellam ex honesta familia; famâ fuisse hactenus illibatâ, etiam publico voto pietati addictam. Addunt constanter prædictam ab ea suæ illius Vrbis expugnationem, Serenissimi Cardinalis Infan-

tis obitum, ſuum ipſiuſmet Puellæ Lutetiam adventum, alia pluſcula. Ad vnum obſtupvi majorem in modum. Circa *Batavos* ſentit planè eadem quæ illa *Matrona illuſtris*, quæ nuper tuta medios per hoſtiles vtrinque exercitus ex Hollandia, Lutetiam acceſſit; vbi abdicatis Hęreſi & ſeculo, Clauſtrum ingreſſa vivit ſāctiſſimè. Ambæ meſſē Catholicæ fidei grandem pollicentur. Ambæ ſpondent V. E. in illis converſionibus, hîc & illic mirificè operaturam. Optanda hæc quidem, ſed an & ſperanda obſtat caligo futuri. Noſtra etiam ſcelera fortè impediunt Numinis clementiam. Vtinam omina ſuccedant & vota!

OANNI ARMANDO

XVIII. INTEREA quidem ſtat animi mei ſententia, quam pluribus à me probari ſepè audivit V. E. Ex quo nobis DEVS locutus eſt in Filio, vix eget Eccleſia *Revelationibus*. Suntque particulares ſemper periculoſiſſimæ. Examinavi ſanè plures vbiquè ex omni genere, ab annis pluſquam viginti; nec vlla vnquā mihi reperta ſic pura & ſincera, vt nihil haberet culpandum, ſaltem du-

EMIN. CARDINALI bitandum. Lapis illis *Lydius*, & exploratorius; humilitas imprimis, simplicitas, obedientia. Nam vt concedam, Revelationes nō semper eliminare culpas omnes veniales, nostræ corruptę naturæ germina, interdū & humilitatis à Deo fomenta; credo nihilominus sēper falsissimas, quoties tantillum admittunt superbiæ, curiositatis, contumaciæ.

XIX. Vna mihi stuporis materia præcipua semper fuit, fortè & vsque erit; tot futuri præsagitiones, quas comprobant rerum eventus, laborare tamen *semper* aliquo minùs vero, sæpè & falsissimo. A quocumque enim oriantur principio, vidi semper dubia certis, veris mendacia interpolari.

XX. Postvlabat Hyeme præterita V. E. num supppeterent aliqua ex veteri Ecclesia, ijs, quæ probare tunc apud te adnitebar, patrocinantia? Reposui locum ex Tertulliano sanè insignem, quem ab Eruditis non satis huc vsque observatum admiratus sum non semel. Quia verò stylus autoris Afri, habet roboris plurimum; reddo illum inte-

grum, dignumque quem in suo gradu positum V. E. iterum atque iterum regustet. Sententia quippe, meo judicio, est decretoria. IOANNI ARMANDO

Tractatum instituit Scriptor acerrimus, & omnigenæ eruditionis promuscondus, de natura *Animæ*. Capite Libelli illius nono versat non perfunctoriè, famosam tunc temporis *controversiam*; sit-ne Anima Hominis planè prorsus spiritalis? An corpore aliquo induta subtilissimo, propriæ qualitatis, & sui generis; cùm DEO soli competat vt sit ἀσώματος? Illic nimirum multus est Tertullianus in alleganda *Puellæ*, tunc magnæ existimationis, revelatione; quâ opinionem suam de corpusculo Animę humanæ connaturali, egregiè probatam putat. Falsissima tamen erat Puellæ revelatio, Tertulliani relatio, explicatio, & applicatio. Eam siquidem sententiam post modum vt erroneam damnavit Ecclesia, quæ columna est & firmamentum veritatis. Quod autem semel approbat Ecclesia-Catholica, semper fuit verum: non tamen

EMIN. CARDINALI.

ſemper expreſsè decretum fuit, ac determinatum. Digna ſunt verba Tertulliani, quæ ad tuam, ERVDITISSIME CARDINALIS, purpuram dijudicentur. *Corporales quoque Animæ inſcribimus lineas non tantùm ex fiducia corporalitatis per æſtimationem, verùm & ex conſtantia gratiæ per revelationem. Nam quia ſpiritualia chariſmata agnoſcimus, poſt Ioannem quoque prophetiam meruimus conſequi. Eſt hodiè* SOROR *apud nos revelationum chariſmata ſortita, quas in Eccleſia in Dominica ſolemnia per ecſtaſim in ſpiritu patitur. Converſatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino. Et videt, & audit Sacramenta: & quorumdam corda dignoſcit, & medicinas deſiderantibus ſubmittit. Iam verò prout Scripturæ leguntur, aut Pſalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur: ita inde materiæ viſionibus ſubminiſtrãtur. Fortè neſcio quid de Anima diſſerueramus, cùm ea Soror in Spiritu eßet. Poſt tranſacta ſolemnia, dimiſsa plebe, quo vſu ſolet nobis renunciare quæ viderit; nam & diligentißimè digeruntur, vt etiam probentur. Inter cetera, inquit, oſtenſa eſt mi-*

hi ANIMA CORPORALITER, *& Spiritus videbatur: sed non inanis, & vacuæ qualitatis; immò quæ etiam teneri repromitteret, tenera & lucida, & aërij coloris, & forma per omnia humana. Hoc visio, &* DEVS *testis, & Apostolus charismatum in Ecclesia futurorum idoneus Sponsor; tu nec si res ipsa de singulis persuaserit, credas? Si enim corpus anima, sine dubio inter illa, quæ supra sumus professi.* IOANNI ARMANDO

VERVM ENIM vt ea quæ dudum frequentibus didici experimentis, clariùs exponam judicij tui censuræ emendatissimæ, inditas veluti à natura nonnullis *præsagitiones* à me, vt eas concepi, enucleari permittes. Operosum quippe est illarum, seu publicæ sint, seu privatæ, initia, progressus & eventus conciliare; tanta est in illis variatio, tanta & incertitudo. Interdum eas oriri à DEO, similius vero est. Aliæ videntur procurari ab Angelo tenebrarum, in Angelum lucis se se transformante. XXI.

Auget difficultatem quando (& accidit sæpiùs) prædictorum pars aliqua

EMIN. CARDINALI succedit; reliquis aut vanescentibus, aut diutiùs quàm par esset ampliatis: aut omninò contrarijs, ac diversis. Quæ quidem valde admodùm implexa, dum extricare adnitor; observavi intervenire fortassis aliqua à DEO, & admisceri etiam subinde aliqua ex Dæmonum imposturis. Intercedit aliquando Nummen, nec vno titulo. Videas enim ab Homine ceu arbores, flores exposcere non item fructus. Ita Franciscum Assinatem, nostramque Teresiam animabat ad Martyrium, & nihilominus avertebat occasiones Martyrij. Alias eiusmodi prædictiones non sunt plusquam aut pollicitationes, aut comminationes à DEO intentatæ. Constat id exemplo Ionæ, qui non sine mœstitia & iracundia conqueritùr; *obsecra Domine, numquid non est hoc verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? Propter hoc præocupavi vt fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu clemens, & misericors es: patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Resque prorsus ita se habuit. Nam futuræ vrbis ruinæ, quam triduò publicabat

Ion. vlt.

Prophetes, intercesſit publica Civium pænitentia. Nec tamen vanum, falſum-ve vaticinium. Latebat enim conditio ſoli DEO nota, *niſi pœnitentia placetur Nemeſis*.

IOANNI ARMANDO.

Nec etiam diſcredo eâ Numinis arte & cautelâ, contineri aliquos in officio & cultu virtutum. Nam & vidi pleroſq; promiſcuæ tum ſortis, tum ſexus, qui religioſiùs attendebant ſibi ipſis; ne ſcilicet, vita licentior indignos efficeret, quominus in magnis negotijs (vt putabant, & illis prædicebatur) operam navarent DEO. Sciebam interea, monebamque ſeriò non eſſe niſi nugatoria, ac illuſoria. Et nihilominus ad ea interno impulſu propè cogi ſe ſentiebant, colebantque propterea virtutem non ſegniter.

INTERCVRRVNT quoq; verſutiæ Dæmonis veterani. Obſervat verſiſpellis, hæc quæ dico; non accidere niſi illis quorum DEO major cura eſt, aut quos ſuis ſtrophis & plagis faciliùs capiendos ſubodoratur. Vtrumque coniectat porro partim ex conceptionis, nativita-

EMIN. CAR DINALI tis, sequentiumque ætatum circumstantijs: partim ex corporis temperamento, animi propensione, totaque indole. Suspicax igitur & timidus ne illos ad magna destinet DEVS, immiscet se viâ præsertim *duplici*.

XXIV. 1. DVM in prima, prope propter, ætate albescit quasi rationis aurora; horrendum quid experitur animus adhuc innocens, & rerum imperitus. Vehementiori & inopinato impetu cogitat nefanda de DEO, de CHRISTO, de Castimonia, de Inferno, de Dæmone. Ea præmittit Impostor Diabolus, naturæ cujusque consentanea, quàm sagax iã tunc explorat. Vbi verô crevit ætas, cum ætate rerum experientia: cum vtraque juventutis maximè, aliquando & virilitatis pericula, crimina, saltemque criminum occasiones & tentationes; illa resumit Dæmon, & acriùs ingerit abominanda, quibus pueritiam præoccupauerat. Quo ariete non potest non vehementer animus concuti, tentarique non ficta desperatione; quasi conclamata esset salus. Putat enim

misellus, reprobatum se antequam natum: horrenda illa & nefanda habere se à natura, quę invaserunt distinguendi adhuc incapacem.

IOANNI ARMANDO

II. Vbi cernit aliquos Dæmon, vaticinijs mox ante memoratis addictos; hac nimirum spe, sua fulcit mendacia. Vel Pios illos deludit expectatione futuri, redditque præsentibus parum attentos: vel promissis diutiùs dilatis, certè aliqua ex parte frustratis; facit vt dubitent de ceteris, detinetque vitam in ambiguo & incerto. Vel eo successu, adigit illos ad suæ vocationis fastidia: mox ad pietatis tædium, ad nauseam rerum divinarum; ceu decepti nulli ampliùs debeant aut credere, aut fidere. Abitque nō rarò pernicies in extrema & vitæ licentioris, & etiā interdum formatæ contra DEVM impietatis.

NE ista credantur fingi gratis, CHRISTI facto comprobantur evidentissimè. Vetus nempe hostis, malignus fratrum accusator, invidus & curiosus Sycophanta; impetit, aggreditur, oppugnat omne quod eminet. Intuitus igi-

I MIN. CAR DINALI.

tur miracula, quibus clarescebat CHRISTI conceptio, nativitas, primaque ætas: auditaque in illius baptismo patris voce, quâ filius DEI prædicabatur; quid non molitus est, vt latens in eo mysterium exploraret? Eo nimirum fine, multiplici assultu CHRISTI patientiam fatigat in deserto: Iudæorum suscitat & accendit invidiam, vt tollant eum de vita; mox omnia reformidans per immissa vxori Pilati somnia & phantasmata, mortem illius conatur impedire.

Est insuper quod meretur non otiosè animadverti. Ignorat Spiritus ille procellarum futura libera, humanæque mentis arcanas cogitationes. Tenebras auget, tum ingens illi superbia, cui propriam mentem exoculare: tum vetus, & atrox adversus Hominem iracundia, furorque, vt alibi demonstro. Eas ob causas sæpiùs à semetipso fallitur Dæmon, hallucinaturque plurimùm in suis divinationibus & coniecturis. Quare dubius & anceps circa illorum, quos dixi, vitam, mores, ca-

ſus, & eventus; ſaltem tumultuari, permiſcere omnia, & implicare allaborat. Sive autem Dæmonum verſutia, ſive naturæ indoles, aut morbi ægritudo eiuſmodi phantaſmata repræſentet; vera à falſis ſecernere, ſemper eſt difficillimum. Tunc namque idem accidit quod per triangula illa vitrea, diverſos,& miros colores contuentibus. Vtriq; vident verè, ſed non vera. Porrò intuitio obiecti veri, & falſi æquè afficit hominum ſenſus, affectus, phantaſiam,animum.Idipſum contingit ſomniantibus, morti vicinis: hypocondriacis, & amentibus. Viſis afficiuntur concitantur, delectantur, exterrentur. Et ita ſus de que miſcent vniverſa, vt veris falſa intercurrant, & falſis vera. Confundunt ſimiliter plerique animi παθημᾶτα cum notitijs, & affectibus; illiſque adnatis aut delectationibus, aut moleſtijs. Nec ſatis diſcernunt inter cognitiones ſenſuum, imaginationis, intellectus, abſtractivas, intuitivas.

IOANNI AMANDO

Ceterùm ne his nodis pluſquam

Gor-

EMIN. CARDINALI

Gordijs enodandis diutiùs immorer, satis fuerit acerrimo iudicio tuo, PRINCEPS CARDINALIS, *tres Canones* discernendæ veritati, nec non dirigendæ pietati idoneos huc revocare.

I. FIXIS, vt prælibare me memini, vitæ nostræ limitibus ex CHRISTI tum doctrinâ, tum vitâ; nunquam aptanda est ad hæc nova, & insueta. Satis igitur superque fuerit illa relinquere in medio, citra cultum aut contemptum. Istis irretiri & oblectari, virtute Provectioribus grande periculum: Tyronibus & debilioribus, distractio est ineptissima; vtrisque metuenda versura, lusus imaginationis oppidò cavendus. Nam procedit sæpiùs in fallacias, & ruinas irreparabiles. Vnde licet veræ revelationes à DEO non dentur vt plurimum, nisi Sanctis notę insignioris; conceduntur tamen aliquando etiam indignis, ceu gratiæ

Num. 24. gratis datæ. Testis Balaamus, Saul &

1. Reg. 10. ipsæ inter Prophetas, Caiphas: Anti-Christus, Pseudo-Christi, Pseudo-Apo-

Ioan. 2. stoli, Pseudo-Prophetæ, operarij sub doli

doli,de quibus præmonet CHRISTVS. Reprobi ipsi, qui in die Iudicij narrantes suas prophetias, suaque miracula, eijciuntur tamen à CHRISTO. Qui & suos, admonet Discipulos, ne ob ea patrata à se miracula glorientur: sed ideo solùm exultent, quia nomina illorum scripta sunt in celis. IOANNI ARMANDO

II. Relinquantur illa DEI tam notitiæ, quàm providentiæ & curæ. Suspensoque, quod Sapientem decet, judicio, expectentur eventus, planè vt res inditerens. Si quid inde emergit bonum, illo sincerè vtamur; nullatenus anxij nec de origine, nec de exitu. Si frumento miscetur lolium; istud abijce, illud retine. XXVI.

III. Nulla prorsus nobis cura esse debet de præsagitionum eiusmodi successu vero aut mendaci, certo vel dubio, integro vel dimidiato. DEI illud negotium est, nostrum minimè. Has ergo omnes illi curas dimittamus. Suum novit secretum, & semper ad destinatum, scopum certo ictu, sæpè tamen latenter collimat. XXVII.

EMIN. CAR DINALI Nobis inter hæc eſto regula. 1. Vera vtiquè revelatio, ſemper conformis CHRISTI doctrinæ & vitæ, fidei principis & articulis, Eccleſiæ auctoritati & ſanctionibus. 2. Quia à fructibus arbor dignoſcitur, non mediocriter attendi debet morum integritas, vitæque Sanctitas. 3. Monet D. Antonius Bonos Angelos initio terrere, poſtmodum lætitiâ animum perfundere, Malos ſecus. His innixa mens devota, præſentibus ſanctè incumbens præparet ſe æternitati: maneatque in gradu & ſtatione, nec altiùs tendat niſi vocante DEO, ſæpiùs & cogente. Rara illa non deſideret, non quærat: non iactitet, non extollat, non ſibi fidat: ſed humilis, obediēs, docilis, alijs magis credat quā ſibi.

XXVIII Ceterùm praclara illa vaticinia iuvabit partim revereri, partim, & magis, non facere tanti. Expectandi DEI nutus, agendumque interea in ſuetis vitæ officijs viriliter. Si vrgent motus interiores, apparentque argumenta non improbabilia; poteſt ſemper animus DEO ſe offerre planè ad omnia,

hac tamen adhibita cautione. Si ad quę vocari te putas, quæque prædicuntur abiectiora ſunt & aſperiora; macte, illa generoſiùs ſubinde accepta. Citra tamen ardorem, impetum & anxietatem. De futuro ſucceſſu, Dominus providebit; ſicut fuerit voluntas in celo, ſic fiat. Sin contra lenocinia offeruntur naturæ, ambitioni, divitijs, honoribus; reſpui penitus debent: nec niſi obedientia ſuadente, aut cogente DEO, tantiſper admitti. IOANNI ARMANDO

QVOD demum attinet Directores, cuncta quidem illi debent auſcultari, & examinare; probandi enim ſunt Spiritus, an ex DEO ſint: pauca condemnare, ſed & longè pauciora approbare. XXIX.

Si vaticinia porro omnia iubent valere, & amandant procul ad Numinis providentiam; magnum facient operæ pretium. Caveant interim ſummopere ne debilia capita & decipi facilia, acceſſorium principali, incertaque in futurum præſentibus certiſſimis anteponant.

Vidi ego non multos ante annos

EMIN. CAR DINALI

prænobilem, devotum, pium imprimis; cui ita ab istiusmodi sponsionibus de futuro certa erat expeditio Hierosolymitana, cui ille sperabat præcipuam se operam navaturum; vt vix ac ne vix quidem obtinuerim, vt de morte imminenti seriò cogitaret. Et audivi certa relatione alium pariter vitæ sanctioris cultorem, mihique æquè notum, iisdem technis irreritum: dumque Mundi reparationem sibi, & per se Orbi pollicetur, triduana ægritudine è vivis ablatum.

Qvid Deus bone! Ea in vitæ periodo vltima plus cogitare de Antichristo, quàm de Christo: Hierosolymam magis meditari in Palæstina, quàm in Empireo. O quis metus! ne dum vir aut mulier his illecebris inescati cogitant de Constantinopoli & Hierosolyma, versutiâ Dęmonum pereant in Gallia, pereant Lutetiæ.

Foveri denique has semper artes & strophas vidi ambitione, ignorantia, superstitione, hypocrisi, otio, factionibus: & infami, quia avara, pietatis

nundinatione. Quibus postremò succedere prava interdum, & turpia sæculorum, huiusque nominatim, experientiâ nimis edocemur: Præcautio DEI est nunquamnon idonea. [Si surrexit in medio tui Propheta, & prędixerit signum atque portentum, & evenerit quod locutus est (nota) & dixerit tibi, eamus & sequamur Deos alienos; non audies, sed interficietur.] Vno verbo, quidquid tendit ad malum, non procedit nisi à malo. IOANNI ARMANDO

NON esset operosum præclaram sanè materiam fusioribus commentarijs illustrare, sed vnum dumtaxat iuvat modò confiteri: Latentium rerum, aut liberè contingentium prænotitia ac prædictio, arcanumque gratiæ prædestinantis, mysterium profectò duplex, vsquequaquè celi splendoribus reservatum. Si qui tanti luminis radij illucent Terræ colonis, tuo debentur ingenio, RICHELI CARDINALIS EMINENTISSIME; nullius non rei, etiam divinæ, inter Mortales capacissimo: Qui me titulus magis adhuc tibi mancipat XXX.

EMIN. CAR DINALI nafcitura, quàm purpura: quàm majeſtas illa, quæ ceteros facit adoratores, me verò habet & devotiſſimum præ ceteris oratorem. LVTET. PARIS. XV. KAL. SEPT. AN. MDCXLII.

EMINEN.^MO CARDINALI

ALPHONSO RICHELIO,

Archiepiſcopo Lugdunenſi.

ETHICA CHRISTIANA

I. QVi pridem veni ad ſummum debitæ nomini tuo reverentiæ, EMINENTISSIME CARDINALIS, incremento locum non reliqui. Creſcit nihilominus tamen animi mei gratitudo, quoniam continuata dudum ſplendidæ Familiæ beneficia, novis ſēper in dies magis ac magis cumulantur. Illud verò præcipui apud me cenſus, quod avulſum me ab vltimo ſpiritu fratris ter-maximi, ſuæ ſinu benevolentiæ complecti dignata eſt humanitas

ALPHONS RICHEL.

est humanitas tua. Experimentis non ita multò post longè supra meritum didici, & Lugduni dum pergo in Italiam: & Lutetiæ reversus Româ, nostrisque rebus ex DEI nutu, vestraque apud Supremum Patrem commendatione, peractis non infeliciter.

Hinc novo ineunte anno meæ vota servitutis renovare non magis ab affectu incumbit, quàm ab officio. Id munus defungor veterum ritu. His enim ipsis Kalendis Artificum nemo Patroni limina salutabat, nisi cum artis suæ insigni aliquo specimine; quod mellis, oleique donarijs condiebat. Sequor passivum morem, cùm Opellam clarissimo nomini inscribo. Tenuis industria mea, sed artificis imperitiam reparat materiæ dignitas. Vtilis illa & salubris, quia Ethica, quia Christiana: tuoque nomini, EMINENTISSIME CARDINALIS, vtroque titulo consecranda. Extra enim morum disciplinam quidquid ambitur, vanum; quia ne hilum quidem saluti, & æternitati profuturum.

ALPHONS. RICHEL. MELLIS, oleique donaria simul congerit, pars hæc Sapientiæ præstantissima; quando & animum tranquillat celesti suavitudine, & vitam exercet virtutum omnium culturâ. Rogatus olim è Sapientum choro non vltimus, qua ratione senectutem attigisset perpetuâ valetudinis constantiâ, & animi à quabilitate conspicuam; habui semper, reposuit ille, intus mel, foris oleum. Ea nimirum tibi præcipua, ac palmaris laus vendicatur. Sic tibi quæsita, sic nativa virtus est; vt tota vitæ tuæ infusa videatur Ethica Christiana. Illam si docere vellē, vnus (quod optabat Seneca) esses in exemplum & ideam producendus; adeò tot probitatis darem præceptiones, quot vitæ tuæ tenor actiones exprimit.

X. Fingunt alij Sapientem verborum adulantibus lenocinijs, tu factis exhibes & exemplis.

Christianum Hominem omnium virtutum concentum, rectè appellat Patrum scientissimus: & illam morum Philosophiam, quam primus Socrates devocavit è celo, musicæ comparat

divinus Plato. Hujus tu numeros omnes imples, haud dubiè ad miraculum. Nam si sonos omninò quatuor requirit omnis musica, totidem virtutes Ethica distinguit; quibus ad summum, absolutissimumque concentum pervenitur.

Moralis virtus extrema inter temperat medium, finesque ac limites rebus bonis & malis constituit.

Quos ultrà, citràque nequit consistere virtus.

Intellectualis mentem illustrat puriori lumine; cujus beneficio vera secernat à mendacis, fucata à sinceris, adulterina & evanida à nativis & solidis. Heroïca supra suetos virtuti terminos assurgens, Hominem induit specie propemodum divina & similitudine. Hinc exoritur apex, fastigiumque perfectionis consummatæ, quam propterea divinam dixere Μυςαγόγοι

Aliorum quisque felicem se satis existimat, si vel vnâ è quattuor prærogativâ decoratur. Proprium tibi est, Optime Alphonse, simul conciliaſ-

EMIN. CAR DINALI

ſe vniverſas. Ingenitas *Richeliæ Familiæ* divitias agnoſcit modò Orbis Europæus, vim nempe ingenij acrem & vividam: animi robur conſtans, & ſublime; claudam verbo, quæcumque magnis Viris ſunt decora, Richelijs genuina ſunt. Quid deinde probitatis, ſanctimoniæ, integritatis peperit beata illa *Carthuſienſium* ſolitudo; norunt quicumque mores in ſeculi corruptelis innocentiſſimos, in purpura candidiſſimos quotidiè demirantur. Iam verò Heroëm non tam fecit aut Archiepiſcopalis præfectura, aut Cardinalis fulgor, quàm patefecit. Teſtis mihi Lugdunum, teſtis Gallia, teſtis Roma, Eccleſia teſtis vniverſa. Inde adeò vltimum in virtute gradum nemo invidet, dum vident ſinguli familiari conſuetudine inter Cives, vſque ad peſtem & pauperiem: zelo inter noſtrates, in Religionis rebus procurandis ardentiſſimo: conſtantiâ, prudentiâque inter conſcriptos Eccleſiæ Patres, in illius negotijs pertractandis incredibili: vitam demùm annis & meritis

pleclarissimam, divinas vtiquè dotes imitari. ALPHONS RICHEL.

II. Eæ scilicet, EMINENTISSIME CARDINALIS, me rationes impulêre; vt moralem hanc Σκέσιν virtutum in te excellenti compendio consecrarem. Abstineo me in præsens à pleniori Opere, & integro; hanc Philosophiæ partem ductu Doctoris Angelici in sua sigillatim membra, veluti per anatomen contentus distribuisse. Cetera enim Moralis, Disciplinæ, quæ Christianis præsertim copiosissima sunt, varijs subinde ex officio & instituto Tractatibus quoniam sum prosecutus; pauca hæc sub nomine & vultu tuo repræsentasse, opus erit ad vnguem, si faves, emendatum. Vale interim, & vive. LVTET. KAL. IANVAR. AN. MDCXLVI.

EMINENTISS.^MO CARDINALI

GVIDONI BENTIVOLO

SALVS A NOVO ITER. PROVINC.

QVam ego scribere avdeo Epistolam, BENTIVOLE EMINENTISSIME, dudum retardavit vestræ dignitatis reverentia: sollicitat verò plurimùm, debitæ servitutis meæ exolutio. Nempe octo ante annos ab-
II. dicaveram me omnibus in Religione muneribus, tum vt pietati simul & eruditioni vacarem impensiùs: tum ne quæsitam alijs in negotijs operam, ex Superiorum Imperio recusarem. Verùm vbi excessere è vivis Christianissimus Rex Ludouicus XIII. nec non Eminentissimus Cardinalis Richelius; absentem quoque & non vno nomine repugnantem me, onus Provincialis iterum subire nostri coëgerunt. Illicò nihil mihi potius fuit, aut antiquius; quàm non ignotam vestræ Eminentiæ

protectionem identidem implorare in sacri Ordinis nostri fulcimentum, nec non reformatæ huius Turonensis Provinciæ tutelam. GVIDON BENTITOL.

SCIVNT vniversi, fama referente, quanto ardeat zelo V.E. in rebus optimis ad DEI gloriam, & Ecclesiæ bonum vel procurandum, vel promovendum. FuitqueCarmeli nostri *Cultoribus* nimis quam gratum, intermissa per totos viginti annos nõ sine gravi bonorum omnium dolore & Ordinis iactura, Comitia Generalia, post liminiò Pontificis volũtate jã in annum proximè sequentẽ cõvocari. Beatè scilicet nobiscum agi existimantes, quod in eo Cœtu de cunctis minimæ nostræ Observantiæ rebus, sub capitis Ecclesiæ oculis rationem simus reddituri. Nec minor mihi lætitiæ spes affulget videndi tui, AMANTISSIME CARDINALIS, cujus pridem desiderium rara merita, nec nova adversus me benevolentia alè pectori insculpsit. *Capitul. gener.*

QVANAM sis oriũdus familiâ, quã nobili, quã illustri; sanguis, nomen, stemma testificantur. Quãtus posteà sit in te vir-

EMIN. CARDINALI tutum omnium cumulus, loquuntur Provinciæ & Regna; quibus Pontificia autoritas per tuas Legationes, pari prudentiæ & integritatis laude inclaruit. Quid demum polleas, quovſque regnes in rerum omnium peritia ſimul & eloquentia; vt nemo taceat, loquuntur tuæ *Lucubrationes* cedro & cerite cera: meliùs oſtro, & purpura dignisſimæ.

Si Hiſtoriam ſtruis, rerum pondus, ſententiarum gravitas, relationum candor; oſtendunt vtiquè judicium, ingenium, fidem. Si conſcribis Epiſtolas, quæ vna è tribus magni per omnia viri nota eſt; Deus bone, quæ morum comitas, quæ venuſtas ſermonis, quæ verborum lenocinia! Pluunt revera è calamo Bentivoli, Suadæ ipſius lepores omnes & deliciæ.

VTRIVSQVE Voluminis donativo dignata me pridem eſt humanitas tua,
IV. *Bentivoli ter magne*. Gratias tunc retuli ſi minùs quas debui, ſaltem quantas potui. Ab hinc litterarium commercium à te mihi imperatum & initum,

fas etiam fuit turbidis tantiſper rebus continuare; quippe noſtri tùm Principes amantes integritatis tuæ, de mea ſinceritate & fidelitate ſecuri. GVIDON. BENTIVOL.

Vnum porrò ſupererat; vt novi ratione itineris, compotem voti faceret me Numinis providentia. Neſcit Europam, qui Italiam non vidit. Extorris eſt ea in antiquæ & geminatæ felicitatis patria, qui Romam non adivit. Et in hâc Cæſarum perinde ac Pontificum Metropoli, quid precor Bentivolo Cardinali aut eminentius, aut carius?

V.

RETVLERVNT jam ab annis quinque è noſtris duo, raras in ceteris dotes; morum integritatem, Sacerdotio reverâ parem: ſed vix credenda, niſi ſæpenumero fuiſſent experti, vrbanitate & manſuetudine ad miraculum conditam. Illam, vt mihi pietas ſemper prælata, ſummè veneror: iſtam vel absẽs exoſculor, quia propediem ad pedes & amplexus Viri omnium optatiſſimi aditum pollicetur. AVGVSTORITI PICTON. NON. MAII AN. MDCXLV.

EMIN. CARDINALI

EMINENTISS.MO CARDINALI

MARTIO GINETTO.

Totius Ordinis Carmelitarum Prote-ctori Vigilantissimo.

DELINEAT. CARMEL. OBSERV. RHEDON.

VI.

SIstit se modò, EMINENTISSIME CARDINALIS, vestris sub oculis in publico Ordinis Cœtu, nostra hæc minima *Turonensis* Provincia; quæsitura videlicet clarissimi nominis tui elogium, virtutis titulum, autoritatis patrocinium. Sicut enim Ecclesia DEI simul & Imperium, mutuis inter se vinculis firmissimè cohærent: ita quæ duæ res maximè sacris, politicisque rebus administrandis faciunt idoneos; in te elucent ad miraculum, sapientia & integritas. Vtrumque revera à Deo, cui soli militare: & à celo, cui toti debemus insudare.

NIMIRVM emendatæ olim eloquentiæ vetus effatum est, nullos vnquam magnos Viros quos *heroas* nominabant Anti-

Antiqui; absque secreta quadam & arcana vi Numinis, extitisse. Hoc in te viderunt, qui jn Ecclesiæ specula nihil non vident Summi Pontifices; dum te supra politissimos mores, necnon pietatis, & eruditionis haud quotidianæ commendationem, multâ quoque rerum experientiâ Clero & Regno pridem approbatum jllius consilijs, jstius gubernaculis secum feliciter admoverunt. Quod Si fortunatæ olim deputantur Respublicæ, tum cùm Sapientes rebus gerundis asciscuntur, quid porrò de virtutum quibus emines, paratura non prædicandum? Quando ipsis Ecclesiæ Rectoribus Primarijs tua assidet inter purpuratos Patres, pietas in Templis, prudentia in Consilijs, sedulitas in Vrbe & Orbe regendis, sollicitudo in pace procuranda, felicitas in vniversis. MARTIO GINETTO

VII. Veremur equidem, CARDINALIS EMINENTISSIME, vlteriùs onerare modestiam tuam ampliori laudum cumulo; quas contentæ generosæ mentes plenariè mereri, Christianè respuunt,

ENIN· CAR DINALI·

Ceterum gratulamur, & quidem ani-
mitùs, *Carmelitarum* Ordini, cuius
felicem passim instaurationem è pro-
tectione tua nemo est qui non ex-
pectet. Tantæ siquidem spei pigno-
ra habemus certissima, res publi-
cis hisce Comitijs gestas cum ea
animorum concordia, quam Numinis
Cultores decet; cum eo pietatis zelo,
quem à Parente suo Elia hereditatem
cernit Soboles Prophetarum; cum ea
demum doctrinæ & eruditionis testifi-
catione, quæ nostras lampades esse
lucentes simul & ardentes palam de-
monstret. Gratulamur & huic nostræ
jn Provincia Turonensi minimæ Refor-
mationi; quæ dum tota jn tuæ sinu
Purpuræ suavissimè apricatur; eam
sperat felicitatem, quæ cœpta jam
à quadraginta annis & ampliùs, ex
DEI benedictione, Eminentissimorum
protectione, Generalium sollicitudine,
ad meliora deinceps charismata sem-
per anhelat. IN VRBE IDIB. IVN. AN.
MDCXLV.

MARTIO GINETTO

Ad *Eundem*.

GRATIA-RVM ACTIO

CVmulata vestræ jn me, tametsi indignum, amicitiæ beneficia Gratiarum actione aut debitâ, aut condignâ prosequi, nedum remetiri, affectus quidem mei est, potestatis nequaquam. Romæ Vestram sæpè expertus benevolentiam, sentio etiam absens pluribus titulis jnsignem, mihi verò super omnes charissimam. Gratum certè imprimis est munus vltimum, quo vnà cum nostro Generali, auctum me voluit V. E. Provincialatu Terræ-Sanctæ. Inde novus mihi aculeus ad res tum Ecclesiæ Catholicæ-Romanæ, tum Sacri nostri Ordinis Carmelitarum, zelo ardenti, quod feci semper, pro mea tenuitate adjutandis. Annus propemodũ est, quo Reverendissimus Generalis è portu pietatis ac studiorum tranquillissimo, *revocavit* me, diù vtiquè *reluctantem*, ad Claustri negotia. Vt sunt modò tempora, prævidi & prædixi à nonnullorum jnsolita invidia, aut

VIII.

EMIN. CARDINALI

malignitate forsan & ambitione non ampliùs occulta, tumultus ac tempestates. Vnum jntereà doleo quàm maximè, DEI famulos vbique mutuis dissidijs, & virium suarum attritu, fraudare Ecclesiasticum simul & Monasticum Ordinem servitijs non contemnendis. Inde hæreticorum, similiumq; Hæreticis, plausus passim & triumphi. Quid pro vtroque facto sit opus, vestrum est pronunciare. Quis sit meus erga Sanctissimam Sedem cultus & affectus, vitæ à triginta & ampliùs annis instituta demonstrant: cogitoque in dies, magis ac magis propalare. Circa verò res Ordinis, vnum mihi propositum est, obedire; modò sciam quid Romæ jubeatur, sola hîc mihi obsequi, gloria relicta.. Nec Cepham novi, nec Apollo; Partium, si quisquam, & factionum hostis infensissimus. Qui Reverendissimo Patri displicuit, mihi non placuit: quotquot approbabit, nusquam reprobabo; vbi iussus, semel animi mei sensa & rerum veritatem exposuero. Vnum id opto

otoque vestro E.C. interventu; aut restituar postliminio paci gratissimæ: aut sciam securè & constanter, quid jubet tum Reverendissimi, tum Sanctissimi autoritas. Ac ne deinceps vel à nobis vestra ignorentur Imperia, vel falsi fratres, veri-ve hostes tenebras & offuscias affundant; quid quæso magis tutum, minusque suspicionibus obnoxium, quàm Romæ nutus omnes significari directè & jmmediatè Illustrissimo, ac Reverendissimo Nuncio, CHRISTI revera jn terris Vicarij, apud nos verò propemodum Vicario, certè delegato. Is ipse testis erit, fortè & obses, meæ perennis servitutis & obedientiæ. LVTET. IDIB. AVG. AN. MDCLIX. MARTIO GINETTO

Ad Eundem.

CARMELITICA. IX.

LVgendum profectò tot præclarè jnchoata pro Reformatione Sacri Nostri Ordinis, protectioni vestræ concrediti, à decennio paulatim, & satis apertè, labefactari. Sit-ne hic aut jl-

EMIN-CARDINALI le eiusmodi cladium autor, vel occasio; DEI, vestroque judicio relinquo. Sed præteritis adhibere medelam, futuris præcavere, stat apud Provinciæ nostræ Turonensis Superiores, idque solemniter jam decretum fuit. Vltrò abstinui me per decem retro annos ab omnibus non Officijs modò domesticis, sed etiam negotijs. Invitum, ab anno revocavit me ad vtrumque Reverendissimus noster Generalis. Sed à quatuor mensibus vsque adeò confusè miscentur omnia, vt necesse demum sit securim ponere ad malorum nostrorum radicem: & quænam sint vera Ecclesiæ ac Religionis decreta, sine infidelitate & suspicione certò intelligere.

Eo fine Romam delegatur à nostræ Provinciæ Superioribus, R. P. Albertus; cujus ingenium, credo, seipsum non difficulter Romæ approbabit: Quod me nominatim attinet, credat precor, V.E. tria solùm mihi esse proposita fixaque; Reformationem, quantum erit in mea tenuitate, omni-

bus modis tueri; stare semper pro Superiorum autoritate; Sanctissimi, Supremique in terris Vicarij, Sapientissimi Protectoris, Reverendissimi Generalis, nutibus & Imperijs perpetuò adhærere. LVTET. PARIS. NON. NOVEMB. AN. MDCLVII.

ALOYSIO CAPONIO

EMINENTISSIMO CARDINALI

ALOYSIO CAPONIO.

FORMVLA CONTROV.

X.

RAra humanitas tua, CAPONI CARDINALIS EMINENTISSIME, istud patietur meę servitutis obsequiū. Quanti enim subsistens in Vrbe, fecerim dotes purpurâ ipsâ eminentiores, non sum exprimendo. Dolui equidem earum gustum tam rarò, meâ mihi culpâ, obtigisse: æternumque hærebit amantissima querela, quæ meas valedicenti omissiones tam comiter obiurgavit. Verùm veniam deprecaturo fas sit dicere, illlud fuisse peccatum reverentiæ, temporis, negotiorum. Olvtinam DEVS pacis sic conciliet vniversa,

EMIN. CAR DINALI

vt liberum ſit noſtram erga vos Venerationem frequentiùs teſtari.

Ordior iam, nec ſine munuſculo; quod fore non ingratum ſpem facit animi generoſitas, à proſapia: amor erga Literatos, à ſcientiâ: propenſio in fidei propagatione, & animarum ſalute, à zelo: benevolentia quam adverſum me ſingularem agnovi, à benignitate; omniumque ſimul virtutum excellenti paratura; quæ mihi venerationem, non auſim dicere amicitiam, conciliavit æternùm duraturam.

XI. Nec diu cogitandum fuit, Vir Maxime, ecquòd tenue Munuſculum tanto Evangelij ac Literaturæ Patrono grati promeret animi monumẽtum? Vt enim reliqua virtutis ſimul & dignitatis munera, prætermittantur modò: ipſemet vidi Romæ quâ manu, quo pectore præfecturam exerceas illius Congregationis, quæ tota in animabus Christo lucrandis feliciſſimè occupatur. Beatum certè negotium, quo vel apud Nationes in Orbe novo triumphi, vel de domeſticis fidei hoſtibus, ſpolia

opima vestra in dies sollicitudine procurantur. Quid, quæso, in divino Cœtu conspicitur; nisi chori castrorum, & acies ordinatissima? In castris & acie celesti firmitudo, roburque animi: in choris & serie militari, propagandæ fidei divinæ suavitas quid ni agnoscatur? Gloriatur sanè tanti Viri moderamine, divinum illud Armamentarium; è cuius structura multò meliùs quàm è Davidis turre munitissima, clypei pendent mille, omnis armatura fortium; qui DEO ipso animum docente, manus & lacertos movente, prælia Domini heroïcè præliantur. ALOYSIO CAPONIO

XII.

Mihi certè plures ante annos in eiusmodi castris tantisper exercito, cum Heterodoxis, etiam de gradu & ad lineam, sæpiùs dimicandum fuit. Nec semel (præfiscinè loquor) iustum Martem, volui dicere Numen, expertus, non meo quidem robore: sed tam facili, quàm felici Victoria veritatis de errore & mendacio. Præcertatum olim fuerat pugnantis, & πολεμικῆς Θεολογίας tyrocinio in aliquot Germaniæ

Vrbibus; vbi Sectarum omnium velut calonum, lixarumque feda colluvies. Exin in Agro Pictaviensi, Santonensi, alijsque vicinis Galliæ Aquitanicæ plagis, graviùs: neque, ex DEI gratia, prorsus infeliciter decertatum. Traductus deinceps Lutetiam ad alias operas, gravissima hæc mihi raró intermissa, nusquam in totum omissa. Tandemque ita me Deus amet! pauló liberior ad suavissima quondam studia reflectens, *Enchiridion* doctrinæ contra *Sectarios* Orthodoxæ, vt pro mea tenuitate appararem; suasere tempus, occasio, amici, zelus, charitas, Superiorum imperia.

XIII. Inde Nostratibus *Methodus* contra Heterodoxos Gallicè nuper dicata meæ huius militiæ Duci per omnia inclyto, Pictonum Præsuli, famoso Rupiposæo. Facta postmodùm Romani Iuris & Latinæ consuetudinis, te appellat Susceptorem. Si parentem amas vt te colit, prolem non aspernabere. Et hoc ipso quod genuinâ primùm formâ; materiâ verò ipsâ quâ constat pugnaci& litigio-

sâ, vestris semper in terris feliciter peregrina est, & extranea; satis sorti suæ consultum putat, si parentis sui nomine, & submissione, CAPONI EMINENTISSIMI tutelam ac patrocinium digna est promereri. LVTET.PARIS.POSTRID. KAL.SEXT.AN.MDCXLVII. ALOYSIO CAPONIO

Ad Eundem.

NOn ignotus, opinor, vestræ accedo purpuræ; memor & antiquæ servitutis meæ, & vestræ olim erga me non vulgaris benevolentiæ. Altè nimirum intimo hæret pectori CAPONI per omnia Summi vultus, ingenium, humanitas, magnificentia. Ante verò omnia zelus pro Ecclesiæ amplificatione, & Regularium disciplina ardentissimus. Pro illa, iuxta vires tantillas, conamur, labore perpeti & indefesso. Ad istam subinde revocamur à servitijs, Lutetiæ suetis & iussis, etiam in Aula. COMMENDATIO

EMIN. CARDINALI

SED quia plura à decennio labefactata ruunt in præceps, ingensque querela est publicam violari fidem ab ijs qui in minùs sunt secreti, vestram opem nostri implorant; vt cognitâ ad oculum veritate, maturum, efficax, & necessarium imprimis remedium adhibeatur. Eum in finem Romam delegatur à nostro Turoniæ Provinciali, Viro religiosissimo, *P. Albertus*, præsentium lator. Quo eum novi ingenio, statim credo V. E. ipse se approbabit; si illum dignatur eo accessu benignissimo, qui non semel beatum me Romæ effecit: suisque meritis, ac beneficijs reddidit ex ære & libra mancipatum. LVTET. PARIS. KAL. SEPTEMB. AN. MDCLVIII.

EMINENTISSIMO CARDINALI

BERNARDINO SPADAE

GRATITVDO, ET PHILOSOPH.

ITane verò, CARDINALIS EMINENTISSIME, vnum id deerat Romanæ

erga nos vrbanitati; vt ad fruendas Tusculi innocentes delicias, vel invitum mitteret me humanitas tua? Parui, vidi, stupui; miratus non semel, certantis naturæ & artis seria dicam, an ludicra? Hinc celi clementia, soli vbertas: vineta ad luxuriem, colles à terra clementer eminentiores, horti cultissimi; circumquaquè amœnitatis iunctim & proventus, fœcundissimæ scaturigines. Inde superbæ Palatiorum moles, Supellex plusquam Attalica, picturæ ad vivum expressæ Apellis manum, Zeuxis penicillum provocantes: Statuæ, Signaque præ quibus Polycleti opera vilescunt. Et quod super omnia, oculos, animumque absorbet; aquarum vsus & lusus vltra fidem. Hîc præcipiti cursu desultoriè volvuntur, caduntque: illic stagnant, restagnant æstu reciproco in sese convolutæ. Alibi in varias figuras sese flectunt, & reflectunt. Iam per tortiles columnas, sursum emergunt: mox assultant per vicinos tubos, secretisque cuniculis eiaculatæ; vt cùm ma-

BERNARD. SPADAE.

XV.

EMIN. CARDINALI

iori cautione securum te putas, vel irrorent suaviùs, vel benè madidum fugientem prævertant & obruant. Quid quod modò pluviatim stillant, de ramis arborum procerissimis; ac demum vel choreas gyrant tripudiantium, vel garriunt in avium rostris, vel venaticè debuccinant, vel in organis modulantur: vel omnes absolutissimæ musices numeros, ad miraculum exercent.

XVI. TOT liquidis speculis impressa mihi visa est Numinis imago, Hominum ingenia per varias subinde industrias ad sui aut agnitionem, aut venerationem provocantis. Vnum interim me malè habuit, quòd declinans autumnus, vrgentiaque passim negotia reditum in Galliam vsque adeò maturaverint; vt dolor! pro longè maioribus beneficijs, gratias tuam apud clementiam nec potuerim perorare. Quanquam vt fœda labes, & à genio meo nimis quam aliena, planè prorsus dilueretur; cum aliquali vsura, etiam absens, persolvere, statim in animum induxi.

Et verò Villæ ipsius, quam mox suis cum voluptatibus reliqui, tantilla recordatio, ad debiti solutionem seriò me sollicitavit. Memini enim me Tullium Romanæ, hoc est vestræ, Principem Eloquentiæ; non alibi quàm in illo ipso Tusculo, meliùs vnquam philosophatum. Is nimirum *Cicero* senili iam ætate oratorijs, senatorijsque muneribus liber; totum retulit se, vt loquitur ipsemet, ad studium Sapientiæ. Ita, ex Pythagoræ placitis, *Philosophiam* vocat: omnium artium, quæ ad rectam vivendi viam pertinent, μέθοδον, ac disciplinam. Haud aliter, *quia nobis quoque necesse est philosophaphari*, te imprimis seligendum dūxi; CARDINALIS EMINENTISSIME; cui Peripatetica nostra, ceu χαριστήρια, potissimè dedicarentur. Necessum inquam & Homini, & Christiano, & secretæ etiam à Multitudine vitæ genus profitenti, nemo ignorat nisi rerum planè ignarus. BERNARD. SPADAE

CERTE quisquis Hominem definit, Philosophum appellat. Vt iustè con-

EMIN. CARDINALI.

querantur Romani Sapientes duo, paucos ad rationem, hoc est ex suæ ipsorum naturæ præscripto vivere. Plures ad similitudinem, pecorum ritu sequentes antecedentium gregem; non quà eundum, sed quà itur. An-non ille mentis compos, & rationis benè vtens revera censeri debet; qui Philosophiam arripit vt vitæ ducem, virtutis indagatricem, vitiorum expultricem? Hominem dixeris-ne, vel Philosophum; qui celestia contemplatur, scrutatur naturæ arcana, animi morbis medetur, cupiditates exscindit, vanis sollicitudinibus liberat se; & caduca habens in contemptu, sempiterna solùm in pretio, quotidiè enititur ad felicitatem?

Iam Christianos sincerè Philosophos, quotus quisque neget: si viæ huius & disciplinæ institutorem respicit, τοῦ Πατρὸς λόγον; CHRISTIQVE Sectatores recordetur rationis filios, Sapientiæ alumnos, Verbi & sermonis discipulos? Inde Veterum, maximè Platonicorum, cum nostris affinitas tanta; vt similitu-

do

BERNARD SPADAE

do alios ad Evangelij cultum de facili traduxerit, alios in errores frequentissimos sæpè sæpius induxerit. Pallio sanè Philosophico, non aliter quàm Christiano, gloriatur magnus vir Tertullianus; posteaquam illi divinæ Sectæ, ac Disciplinæ commercium contulit. *Gaude*, inquit, *Pallium, & exulta; melior iam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti*. Nec interim me latet vtriusque discrimen, eodem stylo alibi retractatum. *Adeò quid simile Philosophus, & Christianus? Græciæ discipulus, & celi? Famæ negotiator & salutis? Verborum, & factorum operator? Rerum ædificator, & destructor? Interpolator erroris, & integrator veritatis? Furator eius, & custos?* Dicam tamen, quotquot decidunt à regula alterutrius Disciplinæ; desinunt & Christiani haberi, & esse Philosophi.

Vt vt sit, sub initia Ecclesiæ palliatos (pallium Monasticæ vestis erat Philosophorum) inter Christianos fuisse constat, quotquot cultum austerioris vitæ capessebant. Quod crudum vitæ

genus quia ex voto retinuere ij, quos posterior ætas *Monachos*, Regulares, Religiosos-ve appellitat; vix alia apud priscos, quàm Philosophantium nomenclaturâ meruerunt insigniri. Ita Patres Græci omnes, Cœnobiticam vitam miscent cum Philosophica. Philo ipse suis in Essenis, τὸ θεωρητικὸν μέρος τῆς φιλοσοφίας adnotat. Inducitque Philosophantes per Sacrorum Voluminum lectionem, φιλοσοφοῦσι τὴν πάτριον φιλοσοφίαν. Et de meis speciatim Consectaneis, pulcherrimo elogio optat efflictim gravis autor Nazianzenus; Ἠλίου τὸν κάρμηλον, καὶ Ἰωάννου ἔρημον, καὶ τῶν οὕτω φιλοσοφούντων τὸ ὑπερκόσμιον. Vt taceam quod vel à Iamblico relatum norunt non ineruditi, decantatum illum Pytagoram Maioribus nostris *Carmeli* montis accolam; è quorum fortè contubernio nomen Philosophi primus invenit, rerum verò ipsarum amplificator fuit.

XVII. TANDEM in confesso est malè omninò de Theologia mereri, qui sub Philosophiæ signis non meruit. Nec sa-

eris vllatenus initiandum, qui illotis ad eam manibus accesserit. Ea nimirum me causa impulit, vt in Scientiarum corona, quâ nostra Vniversalis, Θεοσοφία, ceu Disciplinarum omnium caput & vertex radiat, vulgaris Peripateticorum Philosophia suo quoque radio coruscaret.

BERNARD. SPADAE

Verùm, ne illius lumina mea caligo inobscuret; divinæ purpuræ splendores, ab humanitate tua, CARDINALIS EMINENTISSIME, mutuaturus accedo. Audivi lubens, te in isto Franciæ Regno, vices olim agentem Pontificis, virtutis & doctrinæ famâ sic claruisse; vt Nostrates (& obtusos nemo suspicatur) vsque adhuc suspensi dubitaverint, magis-ne animos alliceres ad amorem moribus emendatissimis: an potiùs raperes in admirationem, Disciplinarum omnium & facultate, & felicitate.

XVIII.

MIHI verò vultum ad magna omnia divinitùs efformatum, Romæ primùm conspicienti; illicò, procul à veteri proverbio, auxit præsentia famam.

EMIN. CARDINALI

Ac si haud perperam obseruatum à Philosopho est, facies maximè Virorum illustrium duci in figuram à Pictoribus & Statuarijs, ideo quod totus præcipuè in vultu homo sit; sensi, fateor, & illam in te oris præstantiam, sedem esse Maiestatis: & ingenium in te supra aliorum sortem vtiquè præstantissimum, totius Sapientiæ felix esse Sacrarium. Vtrumque veneratus sum cum amore, amavi cum veneratione. Venerationem prima fronte indidit species, gravitas, modestia, compositio vsquequaquè augusta. Amorem non occulto magnete pellexit eruditio rara, prudentia incredibilis, facundia sanè facundissima. Super reliquos autem titulos, eâ ab vtriusque mixturâ humanitas, ea vrbanitas; quæ vbi fores congressus familiaris semel aperuit, vel nos integros tuorum reverentiæ meritorum altè defigit: vel tui imaginem, intimis præcordijs strictissimè innectit. Tam grato emblemate insculptum pectus meum æternùm & profitebor, & gloriabor.

LVTET. PARIS. KALEN. IANVAR. AN. MDCXLVII. BERNARD. SPADAE.

Ad Eundem.

COMMENDATIO XIX.

DIu à me dubitatum fuit, EMINENTISSIME CARDINALIS, ingratus-ne viderer, an importunus veſtræ Dignitati Eminentiſſimæ? Eam ſcilicet tot inter glorioſiſſima negotia Epiſtolis convenire, pudor mihi eſt, immo & crimen; niſi temeritati meæ intercedat tua ſingularis humanitas, ipſa vultus maieſtate & oris facundiâ, ceu vivis characteribus, expreſſa. Aliunde verò ita pectori inhæret V. E. dum Romæ agebam, in me benevolentia, ſimul & beneficentia: vt ſine piaculo, tacere mihi minimè liceat. Quanquam & auctuarium deprecor, veſtram nimirum protectionem noſtris in rebus; quas exponet V.E. præſentium lator P. N. ingenio & doctrina ſupra ætatem non vulgari. Interim & annum felicem, & proſpe-

EMIN. CARDINALI

ra omnia vovens V. E. illi me penitus devoveo . KALEND. DECEMBR. AN. MDCXLVII.

Ad Eundem.

COMMENDATIO ALTERA.

SVavissima vestri nominis , oris , virtutis, benevolentiæ recordatio ciet calamum meum ; in novam, ineunte anno , devotæ pridem servitutis meæ testificationem . Si idem est pectus V.E. quod toties expertus sum, tametsi immerens ; non erit , credo , aut ingratum , aut importunum à veteri cliente in continuati obsequij pignus hocce Epistolio conveniri: atque, vt solemus er-
XX. ga Numen , iungam si grave non est, supplicem libellum .

Porrigitur à me in gratiam P. N. cui à me primùm iniecta cogitatio de negotio per Amicos isthic oblato , ab eoque explicando . Non potest non potiri successu felici , si V. E. nanciscitur Protectricem . Nota sunt illius do-

ctrina, zelus, integritas. Poteſt ille plura, poſſumus & nos iuvante DEO nonnulla; maximè apud Chriſtianiſſimam Maieſtatem, per vetus officium, novo diplomate occupatus. Non quod vllius ſim autoritatis, aut meriti: ſed quia zeli ſum pro fidei propagatione ardentiſſimi, & affectus erga Eccleſiam ſinceriſſimi. Vt illis, & nobis V.E. velit Supremum Numen ſervare incolumem, ſummis imiſque precibus quotidiè deprecor. LVTET. PARIS. IPSIS CHRISTI DOMINI NATALITIIS AN. MDCLII. BERNARD. SPADAE.

EMINEN.MO CARDINALI

HIERONYMO GRIMAL*DO*

NEotericorum peſtilens hæreſis, CARDINALIS EMINENTISSIME, nihil habet lethalius, quàm quod Eccleſiam viduat Sponſi ſui præſentiâ. Anteactis quippe retrò

DOMN. DVRAND. ABBAT. DE CORPORE ET SANGVINE DOMINI LIB. XXI.

EMIN. CARDINALI ſeculis, Chriſtiani omnes, hac ſaltem in parte, fuere Catholici: tuncque fidelium cor, anima, labium vnum ipſiſſimum CHRISTI corpus & ſanguinem in altaris Μυςηρίῳ profitebantur. Ferali ſeculo aſpis mutuatum à vipera, venenum effudit præcipuè in auguſtiſſimum fidei Sacramentum; ad Eccleſiæ ſimul & totius Europæ, perniciem. Hinc enim ſtatim impietas omnis, & belli furor. Vbiquè funeſtiſſimæ cladis cineres in hiſce Ciſalpinis adhuc vidit V. E. & altè ingemuit. Atque vt ſuper priſca liliatæ Gentis nobilitate, & incredibili rerum agendarum ſolertia: ardentiſſimum in Religionis rebus, & decore domus DEI procurandis zelum adiunxiſti, exhortari dignatus es non ſemel mea ſtudia, meoſque minimos conatus ad prælia Domini, contra Eccleſiæ hoſtes excitare.

XXII. VERVM vt Sacra Euchariſtia, abſconditum manna, Angelorum eſca, ἑςίασις τρέφουσα νοητῶς, καὶ θεοῦσα: mihi ſemper præcipua fuit in fide, in pretio

in amore, & delicijs; illius quoque Mysteria pro virili vel enucleare, vel fulcire ante omnia semper pro mea tenuitate adlaboravi. Ergo dum nostrum de ea Digestum recuditur, alijs Voluminibus inserendum; attexui ex Manuscripto CL.V.Ioan.Bigotij, cuius iam obitum audio cum luctu; Librum Domni Durandi Abbatis, de Corpore & Sanguine Domini. Scriptor est duodecimi seculi; huc vsque, quod sciam, luci publicæ invisus. Et is indubiè Σύγχερνος Berēgario. Illius enim historiam narrat per apices singulos, mendaciaque confutat; enarrata Fidei nostræ, vt ipse ait, ad Libelli calcem, sinceritate iuxta antiquorum Patrum autoritatem. HIERON. GRIMALD.

XXIII. Quicquid verò illud est, purpuræ tuę accedit, EMINENTISSIME GRIMALDE; illius divino igni simulque tuæ porro nobilitatis, sagacitatis, virtutis, humanitatis splendoribus illustrandum. Tandemque ne Præmessum nō habeas novi, nec inficeti Operis; Proëmium Autoris versu, qualem ferebat ætas,

EMIN. CARDINALI

hîc attexere nec incongruum opinor erit, nec importunum. Sic itaque præludit.

Doctorum cunctos labor est inquirere libros,
Vt divinarum quæ sit substantia rerum,
Ritè capi valeat sub forma panis operta;
Ac vini quæ post sacra verba, Crucis quoque signum
Nil aliud sunt quàm caro vera, cruor quoque verus,
De vero CHRISTI *regnantis corpore in Astris;*
Vt Regem *Regum decet, ac Dominum Dominorum*
Sint iccirco satis hæc nostra minùs studiosis,
De multis Patrum libris excerpta priorum.
In quibus & fidei vigor emicat, & brevitatis.
Concinnè vtilitas non parva datur recitanda,
Tantùm simplicibus. Sapientes porro sequantur,

GVIDON. GRIMALD.

Ac studio freti potiora legendo capaci.
Verùm ne nobis succensendum temerè quis
Iccirco retur, quod præsumpsisse videmur;
Talia discat nos multa improbitate coactos
Iam per Francorum fines, & castra vagantum
Schismaticorum: hæresis per quos cœpit nova nostris
Temporibus, reverenda negans Mysteria CHRISTI
Ecclesiæ quibus alma fides viget alta decenter.
Propterea vt vilem Sapientum nemo laborem
Rideat hunc nostrum, cunctis certè placiturum.
Optima namque Patrum decerpsi dicta priorum
Sinceræ fidei, de carne & sanguine CHRISTI.
Atque hoc in parvo congessi multa Libello.

Ne offendantur delicatuli, præmonendos reor ex Christianorum Cicerone Lactantio; *non in lingua, nec in corde Sapientiam esse: nec interesse quali vtare sermone, quando res non verba quæruntur.* Hæc nimirum Durandi locutio quàm

EMIN. CARDINALI

impolita, tam ſincera: & ex veritatis ingenio, non amantis fucum; quem nec vllum habent, tibi devota pridem, GRIMALDE PEROPTIME, ſervitutis meę obſequia. LVTET. PARIS. IDIB. SEPTEMB. MDCXLVI.

ILLVSTRIS^MO AC REVEREND.^MO

FRANCISCO CHERVBINO

ANNVS NOVVS. XXIV.

ECcleſiæ rebus ſanctiſſimè occupatū vererer te interpellare, ILLVSTRISSIME CHERVBINE, niſi cogeret me pro tot collatis beneficijs, iuſta memoria: & noſtræ tenuitatis, cum ſingulis ſaltem annis renovata gratitudo. Quod equidem eò libentius, veſtra cum venia, à me peragitur; quod eximiæ dotes à celo conceſſæ, quæ me habuerunt Romæ ſpectatorem, retinent in Gallia admiratorem. Felici jam rerum noſtrarum ſtatu; & oppignorato in ſpem plenariæ

hinc & inde felicitatis; feliciùs etiam decurret, σὺν θεῷ, in Cisalpinis partibus, Carmelitica Reformatio. Non vanæ spei fundamenta Ecclesiæ autoritas, tuaque protectio, VIR EXIMIE. Continuatam quia in dies sentimus, D.O.M. precabimur; vt Ecclesiæ, & Asceticæ diu te servet incolumem, plenissimaque cumulet quam voveo & auguror felicitate. LVTET. PARIS. KALEND. IAN. AN. MDCXLVII. FRANCIS. CHERVBIN. XXV.

Ad Eundem iam Cardinalem.

DE SVO AD CARDINAL. XXVI.

NVnquam lætiori animo manum calamo admovi, CARDINALIS EMINENTISSIME, quàm cùm modò novam purpuram veneraturus accedo. Munus nimirum agnosco providentiæ simul & iustitiæ. Illa singulari Numinis beneficio, tantæ fecit dignitati idoneum: ista innocentissimum Pontificem perpulit, vt insignem virtutem Eminentissimo tandem diadema-

EMIN. CARDINALI te coronaret. Dignitatis fastigium merita prævenere, haud quotidiana, haud ignota. Nec debita pridem gratia tamdiu, credo, dilata fuit; quàm vt maturo iam beneficio, feliciùs cumularetur.

Gratias referunt probi omnes DEO, DEIQVE in terris Vicario. Admissi autem olim ad penetralia integerrimæ amicitiæ tuæ, EMINENTISSIME CARDINALIS, mirumquantum gratulantur Innocentio decimo, qui adoptavit: Ecclesiæ, quæ recepit: Sacro Patrum Collegio, quos inter meritò conscriptus es; sibi demum ipsis, qui Clientes tam fideli Patrono gloriantur. Ego certè omnium tenuissimus, sincerissimi tamen pectoris, in meæ felicitatis parte maxima æternùm reponam; quod mihi fas fuerit personam ante splendorem, merita ante purpuram: optimum, charissimumque Cherubinum, antequam auctum apice Cardinalitio; verbo absolvam, mores ante eximios honoris titulos nosse, amplecti, amare, osculari. Rarum revera

XXX.

id munus, mihi Summi Patris nutu & indulgentiâ primò designatum: vestra deinceps clementiâ humanissimè concessum, purpureo tandem fœnore lætor consummatum. Curiæ intereram in Agro Fonbellaquensi amœnissimo, cùm gratissimus promotionis rumor omnium auribus allabens, intimis actutùm præcordijs illapsus est. Quis tùm extiterit animi mei sensus, quanta Deus bone! & quàm incredibili: quàm sincera, ac minimè persusoria voluptate delibuta fuerit mens mea; solus novit, qui nihil non novit: qui vota mea fecit omina, desideria vertit in auguria: precesque, spes & exitus reddidit optatissimos. Verum-enim-verò perfusum iam lætitiâ pectus nihil magis titillavit, quàm quòd nupera promotio publicis, privatisque rebus favens ad miraculum; Ecclesiæ, Religionisque bono viam pandit felicissimam. FRANCIS. CHERVBIN

DICAM in excessu mentis meæ verissimo. Esto retineat me postmodùm debitæ novæ dignitati reverentiâ, abs

EMIN. CARDINALI

familiari, quam hactenus vestra permiserat humanitas: consuetudine. Deterreat Summus honos ab innocentissimo, & quantùm in me integerrimo, fidissimoque consortio; patietur tamen ipsamet purpura, se à suo cliente suisque Carmelitis vltrò conveniri. Redeam deinceps ad vos, non redeam: compellant, repellant quibus id licet ab autoritate in me suprema; paratum iam me fateor ad vtrumque, grandi & inconcusso animo. Si dilectissima mihi Lilia per repugnantis Naturæ, itinerisque tœdia ac pericula cogor iterum deserere; amplissimum laboribus præmium deputabo, Sanctissimo Do-
I. mino denuò adgeniculari: novumque illius Cardinalem vidisse, salutasse. Sin verò iubent Numina me à suavissimis pedum osculis, absque novi Cardinalis vultu abstinere; Ecclesiæ-Catholicæ, Religionis Carmeliticæ, Reformationis demum Gallicæ negotia sarta postmodùm tectaque arbitrabor; si vestra sinit purpura, suo in sinu velut in aprico, aut Sacrario, iure clientelæ,

telæ, & patrocinij collocari. Ita precor, & voveo; meque totum devoveo. LVTET. PARIS. IDIB. OCTOBR. AN. MDCXLVII. FRANCIS. CHERVBIN

Ad Eundem.

DVm novi anni auspicia renovant vota meæ servitutis, nihil vtiquè novum aggredior. ANNVS NOVVS. I.
Quippe vetus iam meus vestrum erga nomen affectus, quem nulla temporis litura possit obscurare, crescit in dies magis ac magis. Memini semper eorum quæ debeo Eminentissimo simul & amantissimo Cherubino, & per eum Sanctissimo Innocentio. Neque tot inter nostrates tumultus partim domesticos, partim ciuiles, recessi vnquam ab ea quam Vobis vovi tum reverentiâ, tum obedientiâ. Iam rebus vtrobiquè pacatioribus, pristina studia resumens, efficiam iuvante DEO vt intelligant,

EMIN. CARDINALI vniuersi, posterique quantùm vestræ benevolentiæ, vestris beneficijs obligatum me profitear. Interim multos annos per omnia felicissimos apprecor, & tota sinceri animi demissione vestram benedictionem efflagito. LUTET. PARIS. IN CAPITE AN. MDCXLIX.

Ad Eundem.

II. FLuxere anni duo à meo in Galliam reditu, sed vtiquè inter tempestates publicas, nec non iurgia Reformationis domestica Cogitaveram iam tunc ab vtrisque, seculi scilicet & Claustri, negotijs saltem vitam eximere. Ideoque & extra Luteriam, ad quadriennium, concionandi munus & partes subelegeram. Sed aliter visum Supremo Numini, cuius sub nutu vitæ nostræ decurrunt momenta. Inde enim statim revocatus Regis, Reginæ, Serenissimi Principis Ducis Aurelianensis, Eminentissimiq; Ma-

zarini iteratis Imperijs, iussus sum hîc sedem figere, Conciones ordinarias intermittere: & vel maximè invitus, maioribus negotijs animum & vires intendere. Non caruit hactenùs tantillo successu, victoriarum genitrix obedientia.

Inclinant iam Res publicæ ad statum tranquilliorem simul & feliciorem. Exteri hostes vano impetu iam recedunt. Tumultus interni paulatim, favente celo, adnitente Regina Matre semper augusta, & inconcusso Eminentissimo Mazarino, planè prorsus evanescunt. Quid de me tandem futurum sit, statuetur non ita pridem redeunte Curia. Interim & V. E. iam non novi affectus mei obsequijs persalutare, & nonnulla de nostris Carmelitanæ Reformationis negotijs perstruere operæ pretium fuerit. III.

EXPOSVI non semel S.D.N. per latera Regularium Ecclesiæ iugulum sæpiùs invadi. Id palam faciet Epistola nomine N. in hac iam Vrbe ad suam Sanctitatem transmissa. Quid pro mea IV.

EMIN. CARDINALI tenuitate effecerim pro autoritate Ecclesiæ Catholicæ-Romanæ, proque tuendis iuribus Generalium; attestari possunt vltra suspicionem tum Commissarius Generalis Carmelitarum Discalceatorum Perusinus, in hoc Regnum delegatus: tum Reverendissimus Generalis Dominicanorum, tum alij complures. Quantâ porro modestiâ vsus sum Brevi Visitatoris Apostolici, mihi vtiquè indigno & quidem recusanti, ex mera S.D.N. Innocentij X. benignitate concesso; vel nostrorum, & aliorum silentium duobus retro annis palam edicit. Sed enim silentem me, & domi vix quicquam agentem, ne pusilli vestrates & nostrates submurmurarent; ea irrepserunt Religioni & Reformationi detrimenta, ij in regimine casus & errores; qui, ni adsit Numen, propediem ad vestras aures cum luctu & gemitu deferentur.

V. INTERIM hoc vnum deprecor, non vtiquè vestram erga me benevolentiam, sed erga omnes iustitiam: vt sine præ-

ventione, citra præiudicia placeat tantisper animum & consilium sustinere, donec nonnulla gravioris momenti tum à N. perperam cogitata tum à N. promota, tentata, luce vobis meridianâ clariùs appareant. Silui cum Propheta, patiens fui, dissimulavi: sed jam væ mihi, si vrgente zelo & Charitate, deinceps tacuero. FRANCIS. CHERVBIN

Nihil imprudentiæ, nihil temeritati aut violentiæ dare me solitum, anteacta vita satis ostendit. Solùm igitur, vbi erit opus (& citò erit, ni prævertat DEVS mala) sincerissimè aperiam remedia, suavissimè postulabo; vestras manus & medelam à vobis expectabo, quæ vel ignotissimis nequit recusari. Hoc interea summis precibus à vestra erga nos protectione efflagito; vt S.D.N. amantissimum Innocentium de meo cultu, observantia, certiorem facere dignetur: mihique tantillo, sed veteri iam affectu vobis opignerato, suam benedictionem, vestram benevolentiam porro impertiri. LVTET. PARIS. IDIB. OCTOBR. AN. MDCLIII.

EMIN. CARDINALI

Ad Eundem.

SALVTAT. ET VAR.

VI.

IMperatum per publicos, domesticosque tumultus silentium abrumpit divini Natalitij, simulque novi anni festiva lætitia. Iam Lutetiæ redditus cum Aula Regis nostri Christianissimi, apud quem vetus Concionatorium munus novo diplomate pridem exerceo; nihil magis in votis habui, quàm novas seruitvtis meæ & obsequij tabulas ad vos transcribere. Devotio cordi & medullis infixa erga Sanctissimum, nihil prorsus imminuta: reverentia adversus V. E. vtiquè firma ac perseverans. Si nec hanc, nec illam crebris Epistolis concelebro, excusationem faciet genius meus,& vitæ consuetudo; quæ inter flatus, & fluctus tranquillitatis amans, Magnatibus sese ingerere summè reformidat. Refricandæ interim memoriæ veniamdeprecor, tum etiam commendationis quam fa-

cio prolixè in gratiam R. P. N. cuius virtus, doctrina, zelus vobis minimè ignota, mihi verò exploratissima. Quare si quid potest V. E. quid verò non potest? apud Sanctissimum etiam atque etiam rogo, vt consilium, opem, protectionem impertiri minimè dedignetur.

FRANCISCHERVBIN

CETERVM hoc vnum præ ceteris efflagito, vt quo affectu paterno me, licet indignissimum, præsentem toties complecti dignata est V. E. absentem, nec vel latum vnguem ex DEI gratia, abs debitis officijs exerrantem, prosequatur. DEVS enim testis me secundùm illius gratiam id vnum præ ceteris ambire, vt suum abs sincero affectu clientem vsquequaquè agnoscat. Vale, & cum P. M. non Nestoreos annos, sed ex Carmelitico voto, Elianos vive felix ac florens. LVTET. PARIS. IN IPSIS CHRISTI DOMINI NATALITIIS. AN. MDL.

EMIN. CARDINALI

Ad Eundem.

CONVERSIO AD FID

SOla calamum reverentia, PATRONE EMINENTISSIME, continet me ne sæpiùs per Epistolas
VII. vestræ purpuræ me sistam. Sed & satis opinor novit sagax ingenium V. E. me ita comparatum à nativo genio, vt malim sincero famulatu, quoties se dat occasio, fidem meam oppignerare, quàm verborum lenocinijs exhibere me importunum. Fiducia in V. E. clementia & affectu, semper eadem. Mea verò servitus & fides erga Sanctissimum Innocentium, perennis æquè ac sincera.

VIII. Vtriusque ductu audeo mittere, quia iussisti, Relationem famosæ Conversionis quam reddet & explicabit noster R.P.N. cuius negotia vestræ tum autoritati, tum intercessioni etiam atque etiam commendo. Eiusmodi absolutionem ab Hæresi fieri in nostro Con-

ventu coram Regina Matre Christianissima, per Illustrissimum de Bagni Nũcium Apostolicum; consultò procuravi; postquam per quatuor & ampliùs menses, non sine plurimis difficultatibus & ærumnis, quà disputando, quà instruendo tandem effecimus, adiutrice gratia CHRISTI IESV, vt consentiret illustrissima Domina Comes Susannæa, filia Mareschalli Chastillonæi, in fidem Catholicam, Apostolicam Romanam. Atque vt Numinis providentia cuncta videtur disponere ad optimam tranquillitatem tum apud vos, tum apud nos; ampla, si non fallit coniectura, suberit opportunitas, præclaros conatus resumere pro Ecclesiæ bono, hæreticorum conversione, doctrinæ amplificatione: etiam pro Ordinis Carmelitici restauratione, quos malus Dæmon & vecors discordia interrupere. FRANCIS. CHERVBIN

IX. QVAE quidem sic à me dicuntur, OPTIME PATRONE, non quasi meas merces velim obtrudere, aut venditare. Sed quia vegetis magis quàm vn-

EMIN. CARDINALI

quam ex DEI benignitate, corporis & animi viribus, pacatis Lutetiæ & propemodum Galliæ vniversæ dissidijs; ego isthic nõ inhonoris muneribus & amicitijs defugens, momentũ expecto; quo serium aliquid moliri liceat pro fide propaganda, proque meo veteri iam affectu erga V.E. cui me totum pridem devotum iterum atque iterum profiteor. LVTET. PARIS. KALEND. AVG. AN. MDCLV.

ILLVSTRISS.MO AC REVEREN.MO

HIERONYMO FARNESIO

Archiepiscopo Patracensi,

Postmodum Cardinali Eminentissimo:

INDICAT. THEOLOG. CANONIC.

TVus in me amor, ILLVSTRISSIME PRAESVL, amœniori iam celo meam liberiùs sollicitat gratitudi-

nem. Sincera virtus nec novit palpare, nec palpari sustinet. Dicam tamen ingenuè, divinæ in te dotes ab anno & ampliùs reversum in Galliam, Romæ me attinent: vigebitque porrò in annos seculares, tuæ erga nos, nostraque benevolentiæ memoria. Continuationem non valens promereri, eam imploro gratuitam velut eleemosynam à tua tum probitate, tum humanitate. X.

Quonam loco sint res nostræ Reformationis Carmeliticæ, cui patronum tam prolixè exhibere te dignatus es, cernes in incluso Memoriali. Felicia omnia sperari & possunt, & debent; si vestra consilia clementiam, protectionem, vt hactenus, ita deinceps experimur. Norunt vniversi Romani, Christianique Orbis non extorres zelum in te adversus res Ecclesiasticas perinde & Monasticas, Parentis nostri Eliæ genio haud inferiorem. Scio ego, quoniam expertus frequenter, ac per eum sæpè demiratus virtutes in te nobilissimo nomini tuo pares: Scientiarum verò omnium, etiam politissimarum, præ- XI.

EMIN. CARDINALI

rogativas longè vltra communem sortem. Inter eas certè eminet Conciliorum, Canonumque notitia ad stuporem: quæ vt succinum paleas, magnes ferrum: sic arcana vi trahit vel ad tuos pedes, vel in manus tuas, ILLVSTRISSIME DOMINE; à me delineatum olim Theologiæ Canonicæ, Indiculum. Rudis materia est, fateor, nec vltra fœtum Vrsinum. Verùm quòd summè habebam in votis, prostabit in nostris penetralibus, inque publica luce angustum quidem, ingentis nihilominus erga te meæ reverentiæ, & observantiæ singularis perenne monumentum. Atque hinc igitur emergit, quo eam digrammate concepi;

Theologia Conciliorum Canonica.

XII. ORdinem statuit primariò, & per se, Religioni: deinde etiam, per accidens & indirectè, Politico regimini. Si quidem novusvelut Orbis, in statu præsertim Gratię,

Religionis pietate, per { Fidem, & Mores } Interiùs. HIERON. FARNESIO.

ECCLESIA constat { *Disciplina* Ecclesiastica, *Exteriùs*. & *Politico* Statu }

Quod ex amussim sanctè præstat varijs temporibus, Varia Theologia.

CANONICA triplex { *Prisca*, ex Concilijs { Generalibus, Nationalibus, Provincialibus. } *Vetus*, ex Iure Canonico. *Recens*, ex Summarũ Collectionibus. }

CONCILIA certè, quibus prima à Scripturis autoritas est; complectuntur fidei Canones, τύπυς Christiani Cultus, Ecclesiæ per continuam seculorum seriẽ origines & ἀρχαῖα. Ideo illis quidquid continetur, quatuor omninò classes ordinatè distribunt & summariè Concil.

VENDICANT. { *Historica*. *Theologica*. *Nomothetica*. *Critica*. }

EMIN. CARDINALI XIII.

HISTORICA; obſervat accuratè quo tempore, & loco: à quibus, ſub quibus, & de quibus celebrati fuere illi Conventus Sacri.

THEOLOGICA; fidei Chriſtianæ dogmata, quaſi limites figit ac terminos; quibus æternæ veritatis doctrina ſic circumſcribitur, vt qui tranſiliunt & exorbitant, infames Hæretici vltimis diris devoveantur.

NOMOTHETICA; venerandam Eccleſiæ πολιτείαν, myſteriorumritus ac cœremonias; Orthodoxis,quaſi legitimis alumnis,præſcribit.

CRITICA ſtudioſiùs exquirit & evolvit aut res, aut verba; qua ſæpiùs hic obſcuritatem, doctrinam, & antiquitatem involvunt.

Atenim quemadmodum ex præſumpta à nobis ſtudiorum ratione, Diſciplinas omnes primò partimur per membra, vt deinceps coëant in vnum corpus,quæ veterũ Ἐγκυκλοπαιδεία eſt, diù, multumque deliberandum fuit, an deberet Theologiæ huic Canonicæ ſpecialis circulus deſtinari? Nam hiſto-

rici characteres, nostræ Chronologi- HIERON. FARNESIO.
Historię inscribūtur. Εἶδος θεολόγικον nostra Scholastica repræsentat. Ecclesiastica πολυτεία, mihi quidem in pretio, alijs magis in vsu, non potuit hinc inde non delibari. Critica demum distribuimus, in Alphabetum Dictionarij nostri Sacro-Profani.

Ea igitur æqua iudicij lance ponde- XIV.
ranti, sententia hæc potior visa est. Criticis omnibus in sua, vt mox aiebam, Glossemata rejectis; Theologica Historicis sic inserui, vt satis sit indigitasse, quæ nostra Scholastica ὡς ἴδιον ἔργων fusiùs exequitur. Duo igitur quæ supersunt, exhibebit modò.

ECLOGA CONCILIORVM

Alphabetica Duplex.

CVius pars prima, instar sensus lit-
teralis; quidquid ea in mate- XV.
ria historicum habet vnum quodque

EMIN. CARDINALI

Concilium, non otiosè perscrutabitur. Altera, Ecclesiasticæ cultum Disciplinæ, quantùm saltem ad mei similes erit satis, rudi penicillo adumbrabit. Horum enim consummata notitia, vix alios spectat; quàm quos rebus Hierarchicis simul & Canonicis, vitæ ac studiorum vota habent ex instituto cõsecratos. Tibi verò, ILLVSTRISSIME PRAESVL, explorata hæc sunt ad miraculum vniversa. Quippe qui Scientiâ, per diutinam experientiam elimatâ, Ecclesiæ Disciplinam grandi, vt proloquebar, amas zelo: Monasticam protectione tua splendidiùs illustras, novisque adeò incrementis non cessas amplificare. Nos ipsi testes minimè omnium suspecti, qui reparandæ Asceticæ ex debito & voto intenti: non aliud securiùs præsidium comperimus, quàm in tua humanitate dicam an pietate. Tantis virtutibus tuis eas vtinam coronas rependat Supremum Numen, quas tibi cum probis omnibus etiam atque etiam exopto. LVTET. PARIS. KAL. IAN. AN. MDCXLVII.

Ad

HIERON. FARNESIO.

Ad Eundem.

CLADES PVBLICAE. XVI.

TVmultus publici, qui me Lutetiam redire compulerunt: non ita sunt extincti, vt rebus Ecclesiæ ac Religionis Monasticæ sedulò vacare liceat. Illud haud dubiè Numinis ira est, Dæmonisque vetus in Homines odium; Orbem Christianum vbiquè, sic miserandum, in modum discindere, lacerare interturbare. Nec mirum reuera si ipsissima lue, quasi venenata contagione, afflatur Status etiam *Monasticus*. Auget malum quod vestra Dominatio Illustrissima satis Romæ vidit, dixit verò sæpiùs; nonnullorum etiam è Domesticis maligna aut æmulatio, aut vitiligo. *Fortè dabit* DEVS *his quoque finem*.

Expectanda interim celestis prouidentiæ decreta, ac momenta. Saltem quidquid paucorum instigatio pertentet, nullâ iustâ querelâ poterit de con-

EMIN. CARDINALI cessa à S.D.N. Commissione expostulare. Malo enim quantùm ex me est, pauciora quietè & pacatè exequi; quàm validiùs agendo, vt fieri posset, fortassis & deberet, dare ansam querimonijs & novis tumultibus at scandalis.

XVII. FATEOR nihilominus & altè doleo plura exinde oriri detrimenta contra Ecclesiæ & fidei amplificationem, Ordinis decus, ac Reformationis incrementa. Liquet enim omnia vbiquè passim aut imminui, aut pessumdari. Verùm Patriarchæ nostri imitamento, quod meum erat feci. Sequor tamen semper à longè, ea prudenter pro virili satagens; quæ sine invidia, sine rumore Rempublicam queunt adjutare. Erit certè aliquando cùm vel pęnitebit, vel illis meliora DEVS consilia immittet.

Hæc tantùm moneo; vt res quoniam sint in statu subinde intelligat vestra sapientia, vester zelus, vestra autoritas. Quin & ea mihi per hæc ambitio præcipua horum occasione Virum salutare, revereri; & debito Epistolarum offi-

cio convenire, ſupra titulos omnes mihi ſemper & ſemper colendiſſimum. HIERON. FARNESIO
LVTET. PARIS. KAL. IVN. AN. MDCXLIX.

Ad Eundem.

PAC. INIT. XVIII.

VEteri jam affectu nova obſequia oblaturus accedo. Publica tempeſtas res omnes ſuſdequè propemodum confudit. Iam *poſt nubila Phœbus*, ex imminente naufragio evadimus feliciores. Fluctui & vento ſubducere me ſtatim à reditu meditabor, per Conciones extra Lutetiam procuratas; cùm ante annum autoritate regia huc revocatus, alienis rebus animum appellere iuſſus fui. Novam rerum molem, à negotio *Reformationis* diſtraxiſſe me ſatis liquet. Sed & abſtinui prudens ac volens, nec fortaſſe augerem trium aut quatuor, non ampliùs, illic, iſthicque frigus: fortè invidiam, fortè & aliquid pejus ſimul & iniquius.

SERENISS. PRINCIPI. XIX.

PLACVIT etiam; fateor, à Numinis providentia, necnon à temporum successu expectare & explorare quid illi feliciùs agerent. Nam vtinam regnarent, ac sine nobis regnarent! Verùm enim adeò defecerunt scrutantes scrutinio, erraverumtque passim in vijs non bonis; vt jam mala vndiquè, & palam erumpant. Rumor, credo, ad vestras propediem aures perlabetur, quod fusiùs scribo ad Eminentissimum Cherubinum, alterum scilicet cum vestra Illustrissima ac Reverendissima Dominatione, Patronum mihi colendissimum juxta & amantissimum. Eo in statu sunt res, quas aggredi coguntur probi; vt deprecatione opus sit vestræ nõ tam suavissimæ mihi benevolentiæ, quàm iustitiæ erga omnes æquissimæ. Interea hoc vnum efflagitant vt pro sua insigni & pervagata integritate, judicium illis servet citra præiudicium. Sed nihilominùs ita agat Iudicem, vt se quidem Patronum colendissimum, me verò Clientem obsequentissimum, veteri iam fœdere meminisse haud

dedignetur. LVTET. PARIS. IDIB. OC-TOB. MDCL. ELECT. COLON.

PRINCIPI SERENISSIMO

ELECTORI, COLONIENSI

Archiepiscopo.

MINus nos charitas vrget, SERENISSIME PRINCEPS, quàm cogunt Majorum imperia. Non quod in ſinu non ardeant ſcintillæ aliquot, à noſtris Protoparentis Eliæ incendio & zelo. Verùm reparatæ inter nos, quatenus DEO viſum, Regularis Diſciplinæ, vnum iſtud è præcipuis documentum eſt; meliora majoribus præferre, fructum quærere magis quàm plauſum: pauca & bona, & quantùm in nobis eſt, ſeligere: multùm non multa præoptare; illudque curare imprimis, vt intùs ſtabili virtute potiùs firmemur, quàm foris co- MISSIO PRO REFORM. XX.

SERENISS. PRINCIPI. piosiùs diffluere. Eiusmodi indole satis iam cunctantes, retardabat quoque rei capessendæ difficultas non vna. Sapientiæ enim an experientiæ dicam oraculum, PRINCEPS SERENISSIME, Religionem imperari minùs quàm suaderi. Immò & nisi è celo lux & robur affulgeat, frustra sæpè tentari. Avita & inolita consuetudo, ingens in Claustris malum. Adeò quæ semel in prava induruerunt, citiùs sæpè frangi se sinunt, quam inflecti. *Reformationis* nomen, inasuetis iuxta crimen est. Res ex se cruda, & austera. Vtque abessent ceteræ in speciem querelæ; obstrigillatur sæpiùs, & fermè proscribitur titulo novitatis. Tum verò præcipuè cùm planta veluti peregrina, in alium à nativo solo orbem tranfertur: ac celo inclementiori riget tempestas, qualem dudum lugemus in isto Orbe Christiano. Biennium itaque distulimus, quod postulabamur, quod iubebamur. Vicere tandem competentium perseverantia, & nostra vicissim obedientia. Quid-ni verò speremus auspi-

catum feliciſſimè, quando vocat Numen, Superiores præcipiũt, approbat autoritas tua; noſtri Principes, vt ſunt Chriſtianiſſimi æquè ac Invictiſſimi, prolixè indulgent. ELCTOR. COLON.

NEQVE diſſimulabo, ſi tua patitur humanitas, PRINCEPS INCLYTE, novam quoque cauſam è pectoris arcano depromptam: Vitæ *interioris* cultus, minimæ Reformationis noſtræ cor vtiquè & caput. Hæc caſtrenſis inter nos, diſciplinæ foſſa & vallum: ea puppis & prora, tantillæ navigationis noſtræ. XXI. Legẽdo autem animadverti, eiuſmodi Μυστικῆς θεολογίας πατέρας πνευματικούς Aſceticæ, inquam, ſequiori ſaltem ævo, vitæ Myſtagogos & Coryphæos, veſtro propemodùm omnes in ſolo inclaruiſſe: Teſtes qui & iſtiuſmodi ſalutis doctrinâ, Principes audiunt in ceteris; Harphius, Thaulerus, Rusbrochius, Campenſis, Dionyſius Cartuſianus, Lanſpergius, Surius, Bloſius, Barbanſonius, alij complures; quibus inter vos converſatio in celis fuit, & in ſinu DEI ſanctiſſima pædagogia. Horum æmu-

SERENISS. PRINCIPI.

latores charismatum evadere, vt minùs in votis, prima nostri est Tyrocinij institutio. Quidni igitur aveamus ad puteos istos viventium & videntium accedere, rimari puros & limpidos latices? Dicam semel; animi mei minimè otiosi cupido fuit, vestigare venas illas fœcundissimas; quibus aqua latet, fortassis hodieque à Sanctuario. Esto illam spissarit, induruerit seculi crassities; esse nihilominus tamen potest celesti concipiendo igni, perquàm idonea. Eunt ergo à nobis *missi* vel vt alios juvent pro virili, vel vt nobis proficiant ex officio. Verùm ni adsis, PRINCEPS SACERDOS, Nehemiæ ad instar; ni doceas, sustineas, & quasi manuducas ad originem; nec aquam speramus à solo, nec ignem à celo. Erit verò præclarum ad Numinis gloriam, & memoriam clarissimi Nominis tui sempiternam; si vester Coloniensis ager, novos gratè Colonos excipit, & fovet. Futuram enim exinde virtutis, & doctrinæ coloniam proclive est augurari. In qua quidem, aspirante DEO

qui inſpiravit, tot deinceps tua orato- ELECTOR. COLON.
res habebit Celſitudo, quot ſubcreſcent Carmeliticæ Reformationis alumni. Illis coaptari me precor gallicâ, quia candidâ; germanâ, quia ſincera fide, devotiſſimum ſimul & obſequentiſſimum. LVTET. PARIS. XII. KALEND. AVGVST. AN. MDCXXXVII.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ELECTORI TREVIRORVM ARCHIEPISCOPO.

DABIT verò veniam humanitas tua, EMENENTISSIME PRINCEPS; nimiæ fortaſſis noſtræ procraſtinationi; in opus Reformationis à nobis, & pro noſtris apud vos dudum expetitæ. Ea nimirum gratiæ nihilo ſeciùs, quàm naruræ indoles eſt, ſuis in operis lentiùs feſtinare: ſed vt quoque firmiùs adoleſcant, feliciùs matureſcant. Magnarum certè rerum initia, DE PROPOSIT. REFORMAT. XXII.

EMINENT. PRINCIP. ſemper ſpinas inter & tribulos: ſanctarum verò nuſquam citra obſtrepentia, paſſim, intus ac foris, impedimenta. Et fortaſſis plus laboris, & aleæ intervenit, dum inſtauratur caduca domus, quàm dum primò inſtituitur. Ita comparare optima difficile, conſervare difficilius, reparare difficillimum.

XXIII. Non interim tamen deſpondemus animum, aut operam recuſamus. Abſit à nobis ſupina eiuſmodi aut protervia, aut ignavia vecors. Scimus equidem, quò DEVS vocat eundum; quando præſertim iter eſt ſub tanti Principis auſpicijs, qualem te ſuſpicit noſtra ætas. Hactenus tamen tergiverſatum à nobis, vel cæſpitatum. Nempe quia ex dignitate tua plurimùm, MAGNE PRAESVL; non incaſſum laborare. Omnia proprias ſibi horas nanciſcuntur ex providentiæ decretis ratis, fixiſque; cuique ſuum pondus, numerum, menſuram admetiri, ſepiùs & expectare par eſt. Spes vtiquè egregias, Romæ etiam nuper enatas è felici ſucceſſu Generalis Capituli; tantumnon demeſſuit præ-

matura mors electi tum Generalis, Leonis Bonfilij. Abinde nos fermè, pupilli absque patre: & dum Successorem à DEO petimus, languere tantisper negotia necessum est. Nec minor insuper remora à circunstante vobis, nobisque heu! diu nimis, bellorum tumultu; quo solent & publica securitas intercludi, & non sine ingenti damno pietas, studiaque frequentiùs intermitti, quin & abrumpi. Ne tamen nihil omninò fieret in sanctissimo consilio, pro nostra tenuitate promovendo; captâ Principum nostrorum licentiâ, duos è nostris viæ committimus; qui visis Hominibus, locis inspectis, rebusque coram, matureque exploratis; quid tandem facto sit opus, referant anno sequenti ad Comitia Ordinis Romæ Generalia.

PER eos ego advolvor Eminentiæ tuæ, PRINCEPS INCLYTE, rebus quas ipse probas, jubesque patrocinium & tutelam oraturus. Non agent profecto exules Ascetæ nostri, ea in Vrbe in qua patriam, magis, quàm fugam, reperit magnus ille Athanasius. Neque exo-

EMIN. CARDINALI. tica esse possunt pietatis & doctrinæ studia, quæ duo maximè quidquid Reformationis vspiam est efficiunt; vbi vtriusque fontem, vel emporium invenisse se D. Hieronymus valde admodum gloriatur. Præterquam quod te verè Heroëm nobilitate, fidelitate, virtute, generositate hac ætate: istoque rerum statu famosissimum, adijsse, vidisse, salutasse: & meo etiam nomine felicia omnia, faustaque conprecari; illis, mihique, si faves, erit optatissimum. LVTET. PARIS. XII. KALEND. AVG. AN. MDCXLVI.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

CARD. VIRGINIO VRSINO.

AN. NOV. XXIV.

CRIMINI meo deputarem, CARDINALIS PRINCEPS EMINENTISSIME, novo ineunte anno non renovare zeli, reverentiæ, affectus, meæ demum servitutis vota; quæ nuper in Alma Vrbe, vestro in sinu sanctè, &

religiosè concepi. Debita eiusmodi officia parum admodum à me frequentari, conquestus est non semel vestræ Principi familiæ devotissimus, *Abbas Tintius*. Sed genio parcendum meo, vitæque instituto; quod vtrumque cavet imprimis ne agam importunè, sacro-ve in purpura otio videar tantillus abuti. Quid enim in Vrsino non grande, quid in Cardinali non reverendum; quid in te, PRINCEPS CARDINALIS, amandum non diffiteor, sed & multò magis suspiciendum? VIRGINIO VRSINO.

CETERVM TVMVLTVS publici sic perseverant, vt privatis rebus plurimùm decedat. Nostratibusque, quia sunt omnes occupatissimi, inque partes distractissimi, vix vacat de alienis cogitare. Aulam tamen nostram vestro nomini, vestrisque nominatim meritis addictam, qui debet ab officio meliùs renunciabit. Faxit vt omnia cedant in gloriam DEI, quam animitùs deprecor vt V. E. diutissimè servet incolumen, ilque de nostris adijciat annis. LVTET. PARIS. IV. KAL. IAN. AN. MDC. LII. XXV.

EMIN. CAR DINALI

EMINENTISSIMO CARDINALI

IO. BAPTISTAE PALLOTTO.

SALVS ET COMMEN. DAT. XXVI.

ERVBESCIT profectò vestis meæ candor, & inolitæ vitæ modestia, ad vestram purpuram adrepens. Audaciam nihilominùs fecit vestri nominis fama, & virtutum supra communem Heroum sortem cogitatio, mihi per amicos dudum inspirata. Non equidem ab alio magis, quàm ab generosissimo Abbate *Tintio*; cujus verba pressit etiam calamus R. Patris Thomæ Augustiniani. Sed quod moris est mei, candidè dicam, plus debeo arcanæ vi mentis meæ, aut Superioris Numinis afflatui; quæ tantam virtutis vestræ imaginem cordis mei tabulæ non tàm appinxit quàm insculpsit, vt à memet facilius sit discedere, quàm ab gratissimo illius conspectu & amore separari. Si à me peccatur per amicitiæ nomen, condonandum id veritatis ingenuitati;

cui etiam patrocinatur Dei exemplum non aliud magis amantis quàm amari cum cultu, coli cum amore. Loquar etiam majori audacia. Eò brevi processit cordis mei aut cultus amans, aut amor colens; vt velit ac nolit V.E. me ſuum clientem ac devotum, deinceps non poſſit non habere. Quod ſi quid vel tantillum apud veſtram magnanimitatem ſervitus mea poſſit promereri, votorum cumulus eſſet & faſtigium. IO. BAPT. PALLOTT.

At verò ne planè ignotus maneam apud Dominum novellus cliens, voluerunt prænominati, vt *vitæ* meæ inſtitutum tantiſper delibarem. Pietas & doctrina, conſcientia & ſcientia duplex credo columna illa eſt, cui veri Dei Templum inędificatur. Ad vtrumque ejuſmodi ſcopum collimavere à primoribus annis, mea omnia ſtudia & vota. Sed remoram injiciunt nimis quàm frequenter Conciones, prælia contra Heterodoxos per Dei gratiam non infelicia: Clauſtri & Curiæ, vel invito, etiamnùm imperata munia. XXVII.

EMIN. CARDINALI

Et nihilominus ad gratum sanctimoniæ, Musisque secessum & otia respicio identidem; licet tantæ, dum isthic vivitur, beatitatis potiundæ spes vix ulla supersit! Quanquam si novum te, EMINENTISSIME CARDINALIS, Patronum nanciscor, spes quoque nova mihi assurgit.

Vt solet affuso surgere flamma mero.

XXVIII

Primum, si fas est, pignus do, & vicissim postulo vestrum suffragium in promovendo P. N. negotio, cuius me autorem profiteor. Virtus illi, doctrina, zelus non quotidiani characteris. Si juvat E. V. habebit geminatum servitium. Si dejuvat, habebit nihilominus me ex ære & libra sibi mãcipium: & apud DEVM Oratorem, vtinam & summorum omnium exoratorem.

LVTET. PARIS. IPSIS CHRISTI NATALITIIS, AN. MDCLII.

EMI-

MICHAEL. MAZARIN.

EMINENTISS. CARDINALI MICHAELI MAZARINO,

Aquensi Archiepiscopo.

RERVM STATVS. XXIX

TVMVLTVS vbiquè Christianitatis heu deplorandi! impedivere hactenus debita meæ erga V.E. officia servitutis. Quid enim scriberem, qui video non sine ingenti dolore, omnia & domi, & foris susdeque confundi. Gemit sub suo Regicidio Anglia, tabescit diuturnis malis Germania, & quod vltra continens est: non benè se tuentur Hispani, Venetæ Ditioni inhiat Tyrannis Ottomanica: nostra jam Gallia monstris scatet, nec vestra Italia à publicis calamitatibus immunis est. Nullus apparet è machina DEVS, qui opituletur: nullus, qui proferat ramum virentis olivæ.

Ego quidem istorum sat prævidens,

EM. CARD. suboptaveram non à me, sed ab alijs Romæ impulsus, ea pro Ecclesiæ & Religionis bono, quæ V. E. minimè displicuerant. Verùm tanta in rerum caligine quid lucis superandum sit, haud satis video. Quod Romæ dixi non semel, hoc repeto bona fide; Gallus à genesi, à baptismo Christianus-Catholicus, à voto Carmelita; adhærebo semper cum Dei gratia constantissimè Regi, ejusque Ministro tibi germano fratri, Sedi Apostolicæ-Romanæ, Ordinis mei Superioribus. Ita profiteor. Lutet. Paris. Kal. Apr. An. MDCLXVIII.

EMINENTISS. PRINCIPI

CARDINALI REINALDO ESTENSI.

PRO PROVINCIA TVRON. XXX

DABIT veniam humanitas vestra, veteri simul & novo Clienti. Convenio Principem Eminentissi-

MVM, quem Christianissimi Regni Protectorem, eodem sibi titulo faventem expostulat *Rhedonensis* Carmelitarum Observantia in Provincia Turonensi, Florentem jam à quinquaginta annis & ampliùs, sub Ecclesiæ, Regni, & Ordinis auspicijs pietate & doctrina satis conspicuam: sed modò ab aliquot annis rebelli paucorum ambitione propemodum eversam, illachrymantur probi omnes.

Dolendum imprimis deliberata & rata Regiæ voluntatis mandata, per subreptitias Epistolas in vestræ autoritatis sinu labefactari. Nec dubitandum quin ritè semel informata V. E. de rerum veritate, sanctissimis institutis patrocinetur. Interim hoc vnum perrogo, ne nostrorum Superiorum patientia & silentium, justissimæ causæ faciat præiudicium.

QVOD me nominatim attinet, nihil loquor apud Principem Cardinalem; quem pridem singulari cultu veneror: Felicem me satis reor, nec invidiæ aut calumniæ conatus magni facio, dum-

ESTENSI.

modo per bonam vel malam famam, res Ordinis & Reformationis Provinciæ Turonensis in tuto collocentur. Quis sit porro rerum nostrarum status, exhibent Provinciæ Superiores per P. Albertum. Hoc vnum oro, EMINENTISSIME PRINCEPS, ne aversum habeamus quem omnes sentiunt clementissimum, justissimum æquè & potentissimum. Ea votorum meorum summa, fusis ad D.O.M. precibus, vt diu V. E. Ecclesię, Regnique bono servet incolumem. LVTET. PARIS. AN. MDCLIX.

EM. CARD.

EMINENTISS. CARDINALI

MARCELLO SAMCTA-CRVCIO.

PRO PROV. TVRON. II

AEQVI bonique consulet vestra humanitas jam facta quodammodo publici juris, CARDINALIS EMINENTISSIME SIMVL ET INTEGERRIME, si nullius meriti cùm sim, audeo tamen vestram purpuram convenire.

Hanc nimirum fiduciam iniecit existimatio ingens, quæ me cogit vestra merita vltra communem sortem venerari cum admiratione, admirari cum reverentia. Currentem suo pondere animum incitavere *beneficia* quæ à vestro zelo accepimus in causa nostræ tum Reformationis, tum Provinciæ, iustissima. MARCELLO SANCTA-CRVC.

VI III. Vt discoli semper & vbiquè turbas cient ac tumultus, maximè si trasversos agit imperitandi libido; pauci inter nos malo genio impellente rebellarunt cõtra *Provincialem* canonicè electum, ætatis jam & virtutis expertæ. Extra Ecclesiæ & Claustri cancellos, quod in vtraque disciplina grande nefas est, transfugerunt; deniquè per calumnias & mendacia, prætextu nescio cujus *Alternativæ*, quam & ipsi fatentur nunquam viguisse inter nos, quamque & sacræ Constitutiones Apostolicę damnant cum anathemate, inconsutilem CHRISTI & CHRISTIPARAE tunicam discindere attentarunt. Superiorum prudentia, charitas, pa-

EMIN. CARDINALI tientia, ſilentium ferè per biennium, Rebellantium calumnijs & imposturis viam reliquit amplissimam. Indè fermè attrita justitia, conculcata veritas, labefactata Superiorum autoritas: Illustris Provincia, Reformatioque in toto Carmelo florentiſſima concuſſa vſque ad radices.

IV. INTEREA providum illud Numen, adiuvit nos in tribulatione perquam opportunè; dum tua, EMINENTISSIME CARDINALIS, opera obſcura illuminavit, firmavit dubia: paucorumque ambitu & petulantia languidum corpus, reſtituit ſanitati. Nempe lite diu ex iuris formulis agitata placuit, te referente, ſacræ Regularium Congregationi, mox & Pontifici Sanctiſſimo, *Provincialem* confirmare: Rebelles in Ordinem reducere, & aberrantes ad Eccleſiæ lineas revocare. Ea nimirum cauſæ juſtiſſima exigit à me privatim gratiarum actionem, quam habeo, referoque quantum eſt meæ tenuitatis. Habeo tamen illam & nomine totius Provinciæ Turonenſis, tametſi ejuſmo-

di controverſia nullo alio titulo ad me ſpectet, quàm quia nomen aliquod ea in Obſervãtia voluit me habere DEVS: & pridem cura Reformationis in Gallia Carmeliticæ, ejuſque vniformitatis à Supremo Pontifice Innocentio X. mihi fuerat impoſita ac demandata. Ejus igitur *Reparatorem* te ac verè Salvatorem à me recognoſci jubent tituli omnes, quibus æternùm me habebis tuæ integrirati ac meritis addictiſſimum. LVTET. PARIS. KALEND. IAN. AN. MDCLX. MARCELLO SANCTA CRVC.

IV.

EMINENTISS. CARDINALI

IVLIO ROSPIGLIOSO,

Papæ & Eccleſiæ à Secretis & intimis.

NON priùs Romam acceſſi, quâm famam audivi de te, CARDINALIS EMINENTISSIME, ſumma omnia ELOG. V.

EMIN. CARDINALI

prædicantem. Vbi verò propiùs intueri vel jussum, vel concessum mihi fuit; illam vtiquè ex sua indole mendacem inveni, quia minuit in te quæ in alijs augere solet & amplificare. Stupui illicò, juvat enim fateri, ad oris dignitatem, vultus alacritatem, frontis humanitatem: ceteraque eloquij lenocinia, volui dicere robora; quibus ad omnium qui vident & audiunt admirationem, exerit se animus sublimis, ingenium acre & velox, mens qualis in Hominibus ad magna & ingentia, *ductis meliore metallo*.

VI. QVO minùs certè mirum videri debet, si cœperunt tantæ existimationis & autoritatis exordia fermè cum vitæ tuæ primordijs. Ex Pistoriensi inter Etruscos nobilitate primaria, allegit te suos inter Canonicos Ecclesia Lateranensis. Mox magis in dies approbatus Vrbano VIII. Ingeniorum examinatori acerrimo, curam ab eo suscepisti, vt olim sub Damaso Hieronymus, Pontificias conscribendi ad Principes Epistolas. Ab eoque statim auctus Nun-

ciaturâ Hispanicâ, eâ tot annos defunctus es pari scientiæ, integritatis, & prudentiæ apud omnes famâ. IVLIO ROSPIGLIOSO

Quid verò illud, quamque præstans & magnificum; dum te vnum, tot inter ac tantos, Sacer Purpuratorum Senatus optavit; qui vacante Sede, Vrbem plenario illo tunc jure *gubernares*? Gradus dubio procul debuit esse vltimus ad Eminentissimam dignitatem, quâ te honestavit, dum purpuravit, Sanctissimus ALEXANDER. Sed vtiquè tanta cum præcepta æstimatione animi tui, dexteritatis, & peritiæ in agendis diu elimatæ & consummatæ; vt secreta omnia tum Ecclesiastica, tum Politica jam antea fidei tuæ credere sibi tutum, Ecclesiæ opportunum judicaverit.

SI igitur à laudatis laudari, est profecto honorificum: & nefas semper fuit dubitare sit ne dignus, quem dignum judicaverit Imperator; non obscurè, non dubiè tuorum, EMINENTISSIME CARDINALIS, meritorum magnitudini ipsi porro patrocinantur, VII.

EMIN. CAR DINALI qui CHRISTI in terris Vicarij, Ecclesię fidei ac veritatis oracula pronunciant Publicis itaque sanctissimisque suffragijs accedere mihi eò faciliùs fuit, quod & me quoque complecti dignatus es ea humanitate, eo affectu, eaque benevolentia; quæ me sibi æternùm oppignerans, jure à me repetit, istud quod offero publicum meæ gratitudinis monumentum. IN VRBE POSTRID. KAL. SEPTEMB. AN. MDCLX.

EMINENTISS. CARDINALI

IACOBO CORRADO

S. D. N. Pro Datario.

CHRISTVS VERA ENCYCLOP.

VIII.

MVLTA quidem sunt, EMINENTISSIME CARDINALIS, quæ vbi tertiùm Romam accessi, animum meum in tui venerationem & cultum vel alliciunt, vel rapiunt. Fama summæ integritatis & doctrinæ,

quã tua tibi merita jam à prima Ferrariæ adoleſcentia pepererunt. Benevolentia Sanctiſſimi, quam erga te minimè vulgarem velut ex oraculo ipſemet percepi. Autoritas in rebus agendis tam firma & conſtans, quàm pura & illibata. Pietas quæ ſingulari modeſtia ipſa ſeſe prodés, ceu florem CHRISTI & odorem, nulliusnon amorem conciliat. Affectus in meos *Carmelitas*, quem lecto etiam in noſtra Tranſpontina monumento, voluiſti poſthumare, dum conſecraſti. Vt verò penitiùs te introſpicere abs non quotidiana humanitate tua conceſſum fuit, reperi quod in Silenis illis Alcibiadis, latere equidem multò majora: pluraque in receſſu quàm in ingreſſu, in adytis quàm in atrio vitæ per omnia laudatiſſimæ; IACOBO CORRADO

IX. EA oris ac vitæ maieſtas diu me, non diſſimulabo, retinuit; quominùs iret in veſtras manus, noſter Scientiæ-Humanæ Contextus. Statim tamen atque oblatum ab vno ex noſtris, intellexi limatiſſimo judicio non prorſus

EMINENT. CARDIN.

displicuisse, è re mea existimavi insinuare V. E. esse illa dumtaxat Studiorum nostrorum præludia, ac rudiora velut lineamenta. Nam præterquam quod Humana hæc nos sunt nisi παρασκεύασμα divinæ Scientiæ; ad longè sublimiorem scopum animum pridem intendi, calamum libravi.

X. Sapientis scilicet ideam indefesso studio quærenti mihi, vnus ante & post omnes occurrit CHRISTVS Dominus. Nimirum *Fons Sapientiæ verbum* DEI *in excelsis, & ingressus illius mandata æterna*. Ceterum omnium vanitatem satis intellexi, & si non monuisset Salomon, Scientias laboris fœcundissimas, fructus perinanes, & vacuas didici ab eodem Rege, magistraque rerum experientia. Diu propterea est, loquor ex pectore, quod omnibus illis nuncium remisi. Neque retinuisse me profiteor ex illo longiori apparatu, post multa partim ab Amicis expressa, partim à Superioribus imperata; nisi quæ aut Ecclesiæ officijs, aut vitæ meæ instituto vel necessaria judicavi, vel saltē opportuna.

IACOBO CORRADO XI.

EA mente IESVM Patris æterni Sapientiam; cujus & nos filij ſumus baptiſmo illuminati ſimul ac geniti, vivam vtiquè Bibliothecam, veram Polyantheam, omnium deniquè ſcientiarum grande Compendium ſtatim animo propoſui. Didici ex Scripturis, *Librum* illum ſcriptum intùs & foris, non legendum modò: ſed & comedendum, immo & devorandum. Guſtavi identidem ori profectò ſuaviſſimum, mel ſuper & favum: nec præcordijs amarum niſi quia ceterorum, ceu felle conſpergeret, nauſeam & faſtidium inducit. Quid amplius dicam, OPTIME CORRADI? Vnum illud mihimet frequenter ingemino.

Si vnum ſcis CHRISTVM *ſatis eſt, ſi cetera neſcis*.

Eoque magis quod eius pridem magiſtri diſcipulum, publicè me profiteor; qui judicavit ipſe ſe ſcire nihil, niſi IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixum.

Quid enimvero neſciat aut Paulus, aut Pauli diſcipulus, vtinam & imitator! qui eum ſcit, *in quo abſconditi ſunt*

theſauri Scientiæ & Sapientiæ DEI? vbiquè profectò legendum & perdiſcendum nobis eſt, Verbum illud abbreviatum. Aio in ſinu matris, θεοτόκυ, in cunis præſepij, in Altaris Sacramento. Sed addit ſignanter Paulus, noſter ille Myſtagogus, IESVM Crucifixum; ceu Volumen illud ſit volans per aëra, *in quo ſcriptum carmen, lamentationes, & væ.*

Nempe, ex meditatione Auguſtini, Lector eſt & Diſcipulus quilibet Chriſtianus. Illi pulpitum Crux, liber ex Virgine pergameno ipſemet CHRISTVS: ſtylus lancea, pennæ ſpinæ, calami clavi, rubrica & encauſtum ſanguis ſeu purpureus cruor, è CHRISTI venis defluus.

BEATVM per omnia Volumen, quæ mihi integra ἐγκυκλοπαίδεια eſt. Ibi, nova reperi Scientiarum fundamenta eò vſque inaudita, Sophis etiam ab omni ævo incognita. Quis porrò non vſquequaquè demiretur novam hanc e Academiam? In ea, Doctore DEO, addiſcendum cuique eſt vnum illud ne-

cessarium, per omnes disciplinas à CHRISTO IESV propalatas. Nova quippe Grãmatica, elementa nectit DEVM & Hominem. Historia, tanti Herois gestarecitat. Poëtica, fidei tradit metamorphoses. Rethorica, suadet quæ antea nullus. Dialectica, veritates omnes enucleat. Logica, sanctissimè concludit. Physica, naturam gratiæ mancipat. Medicina, vulnera Crucifixi vertit in vbera. Astrologia, novas eclipses, novas & luces aperit. Mathematica, nova docet omnia; numeros, tonos, mensuras: figuras, lineas. Metaphysica, nostram in celis super omnia conversationem. Vno verbo; Theologia, DEVM in Cruce ostendit demortuum. Ita studeamus, OPTIME CARDINALIS, ita legamus: ita vivamus, ita moriamur. Ita o vtinam, atque vtinam triumphemus! IN VRBE XVIII. KAL. SEPTEMB. MDCLX. IACOBO CORRADO.

EMINENTISSIMO CARDINALI

SFORZAE PALLAVICINO.

GRATIAR. ACT. XII.

NVLLA profectò adversus Hominem Numinis benevolentia major, EMINENTISSIME PALLAVICINE, quàm quâ immerentem prævenit in benedictionibus dulcedinis: & dum amat indignum, suâ efficit dignum amicitiâ. Est sanè quidem ex nostræ fidei oraculis, *præveniens* illa gratia omnium præstantissima, non solùm quia prima & princeps: sed maximè quoniam à DEO sine consorte; consequentium pignus est, & semen gloriæ ipsiusmet nusquam interituræ.

Enimverò quemadmodum ex meo *Sapientiæ Vniversalis* problemate, omnia invicem assimilantur, suntque divina & celestia ideæ seu exemplaria eorum quæ in hoc Orbe terreno Hominum socie-

Societati intercurrunt; non dissimili sorte beavit me nuper, incredibilis humanitas tua. Nempe & immerentis, & indigni: immo & tantumnon incogitantis animi mei officia ante vertit, affectum occupavit. Vt tamen nulla non claudicat comparatio, errare me tantisper à vero ingenuè cogor modò fateri. Quid enim? Ignorare poteram *Pallavicini* nomen veteri nobilitate cōspicuum, Sforzæ ingenium acre, judicium emendatum, doctrinam exquisitam, pietatem sinceram, vitam tot & tot titulis pridem in Societate IESV illustrissimam: jamque concessâ ab optimo Iudice ALEXANDRO VII. proprijs meritis Purpurâ, eminentissimam? SFORZAE PALLAVIC.

XIII. REVS itaque mendacij non inofficiosi, novi fateor jam ab annis pluribus quæ decora in te, CARDINALIS EMINENTISSIME, larga manu effudere providentia; natura, studium, virtus, fama. Atque, vt cetera deessent, tuorum in omni genere meritorum documenta sole clariora; quotus quisque non intuetur ad vsque stuporem, tibi

EMIN. CARDINALI à temet erectum trophæum ære perennius. Et illud quidem non magis Ecclesiæ, quàm nominis tui splendori duraturum?

Illam intelligo CONCILII TRIDENTINI HISTORIAM. Sed quod Opus DEVS bone! Quot sudoribus & vigilijs elaboratum, quàm curiosis &
X. hactenus inauditis observationibus fętum: quâ doctrinâ, quo robore, quâ eloquentiâ absolutum? Expectatum jam à centum annis, & ampliùs, vt in miraculis solet, suscipit ac suspicit nostra ætas cum veneratione, ventura cum admiratione deprædicabit.

Iam falsi Fratris abstersis fuco & fuligine; jam debellatis Schismate &
XI. Hæresi: jam larvis in totum remotis, revinctisque mendacijs nuda veritatis æquè ac sanctitatis facies nativa se exhibet pulchritudine. Celebras tu solus postliminio Concilium illud integrum, Oecumenicum. Debentque tibi vni tot Patres Tridentini, quod è mendaciorum pulvere ac tenebris in meliorem lucem resurgunt, rursus de-

Heterodoxis triumphaturi. SFORZAE PALLAVIC.

Si te igitur, Vir Magne, tot luminibus circumfusum, non omninò cœcus, haud potui ignorare; certè, quæ mea est in omnes Inclytos necessaria propensio, quia nativa, non debui non amare. Latebat in animæ centro, occultus ille ignis. Lutetiâ discedentis animum titillabat spes, etiam inspirata ab *Abbate* amicissimo, videndi magnum per omnia Pallavicinum. Romæ præter spem & vota affixus, interiori cultu venerabar quem ne adorirer sola prohibuerunt Cardinalitiæ purpurę reverentia, meæque vitæ pridem propositum & institutum.

XIV.

Paratum ergo me invenit vestra clementia, & saltim aspirantem sua me humanitate & benevolentiâ dum prævenit, cumulavit. Vt in omnibns ingeniosum est ingenium sublime, ingentis erga me beneficij occasionem arripuit V. E. ex *Consultatione* mihi tametsi in istiusmodi rebus novitio, imperata à Pontifice, cui dudum mens mea litavit, super consecratione Episcoporum

EMIN. CARDINALI. Ecclesię Orientalis. Exindè non displicuerunt tantilli conatus nostri, in *Humana-Scientia Contextu*. Quin etiam, vt magnam in te mẽtem pauca effugiunt, nostratis gallici idiomatis Iudex esse voluisti; CHRISTVM ipsum examinans in *Throno* Religionis Christianæ, Catholicæ, Mysticæ à nobis pro modulo collocatum.

XV. QVA equidem benignitate ita me obligatum religiosè profiteor, vt summa ambitionis ac votorum modò sit, vestram expectare censuram de residuis *Tomis duobus*; quos interim dum aptantur præla, vestræ non ampliùs humanitati aut benevolentiæ, sed judicio consummatæ eruditionis vsquequaquè submitto. ROMAE PRID. KAL. AVG. MDCLX.

EMINENTISS. CARDINALI
FEDERICO SFORZAE

ANTON. YVAN. XVI.

DVM discedo Lutetiâ, rogaverunt me CHRISTI Ancillæ, optimi Sacerdotis Antonij Yvani proles parthenica; vt Panegyricum, aliquot ante annos jussu Reginæ Matris à me sua coram Majestate pronunciatum, in laudem Patris illarum et Institutoris, V.E. afferrem & offerrem. Munus fore non ingratum existimarunt innocentissimæ Moniales, quia tibi dum *Legationem* tanto cum splendore & fama virtutis ageres Avenione; non ignotum, immo æstimatum, satis & amatum DEI famulum, recordantur. Accedit quod pro fundatoris memoria, proque suæ *Misericordiæ* Instituto, vestro nobili ac generoso patrocinio audent gloriari.

Annui non inurbanæ, nedum iniquæ:

EMIN. CARDINALI petitioni; lætus occasionem nancisci, quâ conceptum diu vestrum erga nomen, virtutesque, reverentiam testificarer. Nam in Vrbe aut rogatus ab ijs qui possunt jubere, aut jussus ab ijs qui non debent nisi rogare; persuasus sum aliquot è nostris Concionibus Iure Latij, & Vrbis donare. Parui, tametsi ob diversas rationes, plurimùm repugnans. Consensique tandem experiri an, quod avebant impensissimè, placeret delicatissimis Italiæ ingenijs *Methodus* concionandi in Gallia, quam præsens ætas ad supremam Christianæ eloquentiæ periodum creditur evexisse.

XVII Eo porrò in Sermonum delectu, occurrit etiam meus ille de *Antonio Yuano* Panegyricus; quem, ex Dei clementia & materiæ præstantia, plausum theatri meruisse in eo liquet; quod post mensem non integrum ad novam editionem, mox & ad tertiam properandum fuit.

Interim etsi vita Yvani plura habeat stupenda & rara, non vltra tamen

Orationem funebrem optimum Sacerdotem laudandum suscepi. Neque verò contra Apostolicas cautiones occupamus, nec aucupamur titulos sanctitatis. Sed si relatu famosissimi Historici Soceri sui vitam exordientis, *Clarorum Virorum facta, moresque posteris tradere antiquitùs vsitatum*; non prohibet gratia, neque similiter vetat Ecclesia, Dei famulos virtute insignes ad publicam ædificationem, emenso mortalitatis curriculo, depredicari. In Vrbe X. Kal. Octob. An. MDCLX.

FEDERICO SFORZAE

SERENISSIMO

ARMANDO BORBONIO

PRINCIPI DE CONTY.

Divinvm revera munus est, Armande Princeps, felicem hoc est tui similem in mundum venire. Huius porrò felicitatis quota

SERENISS. PRINCIPI pars est nasci Principem; cùm longè sit præstantiùs semet Heroëm efficere. Sanguini tuo Lilia debes, & Purpuram; tibi summam eruditionem, summam virtutem. Nec tam videtur decorum à magnis nasci, quàm eniti ad maxima. Illud enim Parentum munus est, istud industriæ beneficium. *Generari namquè à Principibus fortuitum, nec vltra æstimatur.* Supervacaneum verò laudare prosapiam, quam celi, terræque flores consecrant in fratrum pari eximio post Regias Majestates, fructus bello, paci: Ecclesiæ, Orbi parturientem. Contraham quod vni tibi proprium est à te, & à Numine.

Indoles suavitate simul ac liberalitate condita, quales Principem decent. Mores in ipso adoloscentiæ lubrico sic castigati, sic emendati; vt videaris.

Ante annos, animumque gerens, mentemq; virilem.

Vernantis adhuc ætatis habes decora, maturæ messem ac proventus.

XVIII. Iam virtus adeò exculta, vt dici fa-

ARMANDO BORBONIO

cilè non queat natura-ne an paratura vitium à te cogant exulare. Et vtinam, MAGNE PRINCEPS, id monstri genus æternùm ignores! Quamquam non est quoque nefas dicere quod plus possunt apud te probi mores, quàm apud alios bonæ leges. Legem enim & sanctè vivendi normam tibi proponis DEI imperium, CHRISTI exemplum, tuam ipsius conscientiam: tuam famam, & totius Orbis expectationem. Si hæc semper oracula consulis, nunquam errabis à vero: semper hærebis in solido Virtutis, & Sapientiæ.

Innocentiæ porrò & integritatis regiam viam καὶ ὁδὸν εἰς νίκην ambulanti, non deerunt (facilè est augurium, quia suetum) salebræ à naturæ, seculi, aulæ corruptelis. Sed si lubet & vacat cogitare qualem te debes tuis stemmatis, tibi, & Orbi, purus ad sinceram ævi vtriusque gloriam evades.

IVVABIT non parum si quam assecutus es Sapientiam, adhibes semper in secretum pectoris tui consilium: nec

SERENISS. PRINCIPI celi & mentis in te splendores extingui permittis, aut obscurari. Proprium siquidem Scientiæ est non lucere modò, sed ardere, sed movere, sed impellere. Disciplinæ fræna sunt perinde & calcaria: μαθήματα τῆς ψυχῆς βρώματα, Hominum animis ornamentum præstãt & fulcimentum. Credet vix posteritas quod in te vidit Lutetia, suspexit Gallia; divinæ pariter, & humanæ Sapientiæ in Sorbona Magistrum, cùm ageres Discipulum. Tanti thesauri facilis est cultura. Ex divini Platonis oraculo tui ipsius reminiscentia, integra erit Encyclopædia.

Vestigata hęc vtcumque nostris studijs viginti & ampliùs annos, ortum
XIX. tuum expectavit. Credo vt latens sub tuo vultu, Borbonici Sanguinis & ingenij splendoribus radians; vel immerentibus suas celaret pulchritudines, vel amantibus fovendam se affatim exhiberet.

Vt interim laboris ipse mei fructus decerperem, numero Scientiæ, Naturæ, Divinitati consecrato; quidquid

Encycoptædiæ in novem Circulos, ſelegi; diverſis per ordinem centum prope Syntagmatis diſtributum, offero Serenitati Tuæ. Non benè abſolutum Opus deſinent conqueri, qui ſingulari Providentiæ dono Scientiarum in te omnium felix compendium vident, ſtupent, amant. His ego ſuccenturiari rogo, precorque omnia in provectum ætatis ex DEI benedictione feliciſſima. ARMANDO BORBONIO

LVTET. PARIS. POSTRID. KALEN. IAN. AN. MDCXXXV.

ILLVSTRISSIMO SCINTIARVM

MOECENATI

FRANCISCO CHAMPVALONIO

Rhotomagenſi Archiepiſcopo.

CVM primùm, PONTIFICVM DOCTISSIME, Gallionis miraculum, calami tui characteribus impreſſum, exactiſſimi Chronologi liberalitate in DE SVO MVSAR. SOLAT. XX.

ILLVITRIS ARCHIEP.

manus meas concessit; publico velut ad calcem celeumate invitatum me existimavi, vt vnus è multis, nec vllus tamen in multis, amantissimis Sacris operaturus accederem. Animum certè deterrebat meum fastigij tui sublimitas, quæ vix habet quicquam eminentiùs, quam meritorum radios; quibus in annos porrò seculares, collustrabit Orbem hunc vniversum. Atenim vt ceteris virtutibus cuilibet obvijs, quibus pedum & infulas supra communem sortem exornas, taceatur impræsentiarum; sciebam jam olim vel ex veteri παροιμία, cādidas esse & apertas Musarum januas. Ruborem suffundebat Philosophici coloris amantissimo, tenuitatis meæ conscientia. Sed depressū erexit vel ipsius σεμνοτάτης coronæ, & dignitatis tuæ splendor; cujus benignissimi fulgores sanctimoniâ & eruditione haud quotidianâ contemperati, minùs turbant quàm recreant: magis alliciunt, quàm deijciunt: astringunt, non perstringunt. Veniam igitur dabis, DOCTORVM

PRAESVL, immo dedisti jam publicis tabulis; quod solemni per te adactus Sacramento, solitudinis tuæ semnæa ausim ignoto gressu, haud tamen profano temerare. Enimverò si in clarissimum nomen quidquam ab innocenti affectu peccatum est, expiabit tanti nominis radicitùs infixa pridem animo meo reverentia, & apud omnes Literatos veneratio numquam vnquam intermoritura. Quin & vltrò fascibus tuis me submittam pœnas luiturus, si modò intelligant vniversi præter arcanam conscientiæ vim, non alium fuisse secretæ ambitionis scopum; quàm vt extemporanea hac testificatione, æternæ servitutis meæ anathema Rothomagensis Academiæ Tholis voti reus, quod facio religiosa fide, appenderem. Vale & æternùm vive. FRANCISC. CHAMP.

DE GALLIONIS EGLOGA LVSVS, XXI.

ORpheus vt quondam suavi modulamini plectre,
Carmina dum sacræ concinit apta lyræ:
Audijt omne nemus, sylvæque sequuntur, & omne
Immotum cedit sedibus vsque suis.

Sic vbi divinas revocans Francisce Camænas,
Silvestres calamos Pastor Apollo refers;
Non rupes immota manet, natura revulsa
Vltro quæ nectis Thracia vincla subit.
Ipse ego quem dudum Carmeli claustra recludunt,
Atque inter Musas otia Sacra beant.
Ipse sequor, venerorque tuum, Doctissime Præsul,
Ingenium, vtque colant postera secla, precor.
Iam calami mouumenta tui miratur in Orbe,
Quisquis Doctorum nomina prima notat.
Iam tibi; quis nescit? frondosa tempora lauro
Pastorum Vrbanus, cinxit vbiquè patèr.
Sive placent numeri, aut numerorum lege soluta;
Iam geminas palmas Græcia, Roma dedit.
Ausus & Angelicæ mysteria pandere linguæ,
Mortali penetras vix adeunda viro.
Nec semel extimuit nostro procul orbe Britannus,
Dum sentit graphium perfida Secta tuum.
Gallia avos reticens, reticens insignia Mystæ;
Vnum iam nomen iactat in Orbe tuum.
Fallimur, ecce novus nesciens iam Gallio certat:
Pastoremque mihi vindico solus, ait.
Certat & Ambosius, cui sese Gallio totum
Debet, & autorem rura vetusta canunt.
Interea tantas æquans Academia lites
Solvit, & autori nec favet illa suo.
Te quia Pastorem veneratur Gallio, tota est
Gallia, nec maius postulat illa decus.
Struxerat Ambosius, Regalis corpora molis;
Tu Francisce domus mens, animusque micas.

Vi-

Vivat ò æternùm! vivat domus æmula celi!
Musarum vivat Gallio, Sacra domus!
Tu quoque, magne Heros, æterna in secula vivas;
Nec nox æternum obruat vlla decus.
Stemmata clara nitent, antiquæ ex sanguine Gentis:
Stemmata collustrant Infula, Sacra, Themis.
Excepit primum victrici Pignora mentis
Fanum, quod cunctis omen in Orbe fuit.
Mactatus populo princeps oracula dictas,
Primas Sacrorum, Pieridumque parens.
Fas mihi sit: flos lecte Virùm, penetrare recessus:
Gallionisque Sacri, templa subire tui.
Tangam aras, numenque ioci devotus adorans;
Efficiar Genij cultor, & ipse tui.
Nec pigeat (quamquā temerè ausim) hæc munera vatis
*Excipere ignoti; noscitur, ***

LVTET. PARIS. KALEND. SEPTEMBRIS AN. MDCXXXII.

EMIN. CARDINALI. Ecclesię Orientalis. Exindè non diſplicuerunt tantilli conatus noſtri, in *Humana-Scientia Contextu*. Quin etiam, vt magnam in te mẽtem pauca effugiunt, noſtratis gallici idiomatis Iudex eſſe voluisti; CHRISTVM ipſum examinans in *Throno* Religionis Chriſtianæ, Catholicæ, Myſticæ à nobis pro modulo collocatum.

XV. QVA equidem benignitate ita me obligatum religiosè profiteor, vt ſumma ambitionis ac votorum modò ſit, veſtram expectare cenſuram de reſiduis *Tomis duobus*; quos interim dum aptantur præla, veſtræ non ampliùs humanitati aut benevolentiæ, ſed judicio conſummatæ eruditionis vſquequaquè ſubmitto. ROMAE PRID. KAL. AVG. MDCLX.

EMINENTISS. CARDINALI

FEDERICO SFORZAE

ANTON. YVAN. XVI.

DVM discedo Lutetiâ, rogaverunt me CHRISTI Ancillæ, optimi Sacerdotis Antonij Yvani proles parthenica; vt Panegyricum, aliquot ante annos jussu Reginæ Matris à me sua coram Majestate pronunciatum, in laudem Patris illarum et Institutoris, V.E. afferrem & offerrem. Munus fore non ingratum existimarunt innocentissimæ Moniales, quia tibi dum *Legationem* tanto cum splendore & fama virtutis ageres Avenione; non ignotum, immo æstimatum, satis & amatum DEI famulum, recordantur. Accedit quod pro fundatoris memoria, proque suæ *Misericordiæ* Instituto, vestro nobili ac generoso patrocinio audent gloriari.

Annui non inurbanæ, nedum iniquæ:

EMIN. CARDINALI petitioni; lætus occasionem nancisci, quâ conceptum diu vestrum erga nomen, virtutesque, reverentiam testificarer. Nam in Vrbe aut rogatus ab ijs qui possunt jubere, aut jussus ab ijs qui non debent nisi rogare; persuasus sum aliquot è nostris Concionibus Iure Latij, & Vrbis donare. Parui, tametsi ob diversas rationes, plurimùm, repugnans. Consensique tandem experiri an, quod avebant impensissimè, placeret delicatissimis Italiæ ingenijs *Methodus* concionandi in Gallia, quam præsens ætas ad supremam Christianæ eloquentiæ periodum creditur evexisse.

XVII Eo porrò in Sermonum delectu, occurrit etiam meus ille de *Antonio Yuano* Panegyricus; quem, ex DEI clementia & materiæ præstantia, plausum theatri meruisse in eo liquet; quod post mensem non integrum ad novam editionem, mox & ad tertiam properandum fuit.

INTERIM etsi vita Yvani plura habeat stupenda & rara, non vltra tamen

FEDERICO SFORZAE
Orationem funebrem optimum Sacerdotem laudandum suscepi. Neque verò contra Apostolicas cautiones occupamus, nec aucupamur titulos sanctitatis. Sed si relatu famosissimi Historici Soceri sui vitam exordientis, *Clarorum Virorum facta, moresque posteris tradere antiquitùs vsitatum*; non prohibet gratia, neque similiter vetat Ecclesia, DEI famulos virtute insignes ad publicam ædificationem, emenso mortalitatis curriculo, depredicari. IN VRBE X. KAL. OCTOB. AN. MDCLX.

SERENISSIMO

ARMANDO BORBONIO

PRINCIPI DE CONTY.

DIVINVM revera munus est, ARMANDE PRINCEPS, felicem hoc est tui similem in mundum venire. Huius porrò felicitatis quota

SERENISS. PRINCIPI pars est nasci Principem, cùm longè sit præstantiùs semet Heroëm efficere. Sanguini tuo Lilia debes, & Purpuram: tibi summam eruditionem, summam virtutem. Nec tam videtur decorum à magnis nasci, quàm eniti ad maxima. Illud enim Parentum munus est, istud industriæ beneficium. *Generari namquè à Principibus fortuitum, nec ultra æstimatur.* Supervacaneum verò laudare prosapiam, quam celi, terræque flores consecrant in fratrum pari eximio post Regias Majestates, fructus bello, paci: Ecclesiæ, Orbi parturientem. Contraham quod vni tibi proprium est à te, & à Numine.

INDOLES suavitate simul ac liberalitate condita, quales Principem decent. Mores in ipso adoloscentiæ lubrico sic castigati, sic emendati; vt videaris.

Ante annos, animumque gerens, mentemq; virilem.

Vernantis adhuc ætatis habes decora, maturæ messem ac proventus.

XVIII. Iam virtus adeò exculta, vt dici fa-

cilè non queat natura-ne an paratura vitium à te cogant exulare. Et vtinam, MAGNE PRINCEPS, id monstri genus æternùm ignores! Quamquam non est quoque nefas dicere quod plus possunt apud te probi mores, quàm apud alios bonæ leges. Legem enim & sanctè vivendi normam tibi proponis DEI imperium, CHRISTI exemplum, tuam ipsius conscientiam: tuam famam, & totius Orbis expectationem. Si hæc semper oracula consulis, nunquam errabis à vero: semper hærebis in solido Virtutis, & Sapientiæ.

Innocentiæ porrò & integritatis regiam viam καὶ ὁδὸν εἰς νίκην ambulanti, non deerunt (facilè est augurium, quia suetum) salebræ à naturæ, seculi, aulæ corruptelis. Sed si lubet & vacat cogitare qualem te debes tuis stemmatis, tibi, & Orbi, purus ad sinceram ævi vtriusque gloriam evades.

IVVABIT non parum si quam assecutus es Sapientiam, adhibes semper in secretum pectoris tui consilium: nec

SERENISS. PRINCIPI

celi & mentis in te splendores extingui permittis, aut obscurari. Proprium siquidem Scientiæ est non lucere modò, sed ardere, sed movere, sed impellere. Disciplinæ fræna sunt perinde & calcaria: μαθήματα τῆς ψυχῆς βρώματα, Hominum animis ornamentum præstāt & fulcimentum. Credet vix posteritas quod in te vidit Lutetia, suspexit Gallia; divinæ pariter, & humanæ Sapientiæ in Sorbona Magistrum, cùm ageres Discipulum. Tanti thesauri facilis est cultura. Ex divini Platonis oraculo tui ipsius reminiscentia, integra erit Encyclopædia.

Vestigata hęc vtcumque nostris studijs viginti & ampliùs annos, ortum tuum expectavit. Credo vt latens sub tuo vultu, Borbonici Sanguinis & ingenij splendoribus radians; vel immerentibus suas celaret pulchritudines, vel amantibus fovendam se affatim exhiberet.

XIX. Vt interim laboris ipse mei fructus decerperem, numero Scientiæ, Naturæ, Divinitati consecrato; quidquid

Encycoptædiæ in novem Circulos, ſelegi; diverſis per ordinem centum prope Syntagmatis diſtributum, offero Serenitati Tuæ. Non bene abſolutum Opus deſinent conqueri, qui ſingulari Providentiæ dono Scientiarum in te omnium felix compendium vident, ſtupent, amant. His ego ſuccenturiari rogo, precorque omnia in provectum ætatis ex DEI benedictione feliciſſima. LVTET. PARIS. POSTRID. KALEN. IAN. AN. MDCXXXV. ARMANDO BORBONIO

ILLVSTRISSIMO SCINTIARVM

MOECENATI

FRANCISCO CHAMPVALONIO

Rhotomagenſi Archiepiſcopo.

CVM primùm, PONTIFICVM DOCTISSIME, Gallionis miraculum, calami tui characteribus impreſſum, exactiſſimi Chronologi liberalitate in DE SVO MVSAR. SOLAT. XX.

manus meas conceſſit; publico velut ad calcem celeumate invitatum me exiſtimavi, vt vnus è multis, nec vllus tamen in multis, amantiſſimis Sacris operaturus accederem. Animum certè deterrebat meum faſtigij tui ſublimitas, quæ vix habet quicquam eminentiùs, quam meritorum radios; quibus in annos porrò ſeculares, colluſtrabit Orbem hunc vniverſum. Atenim vt ceteris virtutibus cuilibet obvijs, quibus pedum & infulas ſupra communem ſortem exornas, taceatur impræſentiarum; ſciebam jam olim vel ex veteri παροιμία, cādidas eſſe & apertas Muſarum januas. Ruborem ſuffundebat Philoſophici coloris amantiſſimo, tenuitatis meæ conſcientia. Sed depreſsũ erexit vel ipſius σεμνοτάτης coronæ, & dignitatis tuæ ſplendor; cujus benigniſſimi fulgores ſanctimoniâ & eruditione haud quotidianâ con temperati, minùs turbant quàm recreant: magis alliciunt, quàm deijciunt: aſtringunt, non perſtringunt. Veniam igitur dabis, DOCTORVM

PRAESVL, immo dedisti jam publicis tabulis; quod solemni per te adactus Sacramento, solitudinis tuæ semnæa ausim ignoto gressu, haud tamen profano temerare. Enimverò si in clarissimum nomen quidquam ab innocenti affectu peccatum est, expiabit tanti nominis radicitùs infixa pridem animo meo reverentia, & apud omnes Literatos veneratio numquam vnquam intermoritura. Quin & vltrò fascibus tuis me submittam pœnas luiturus, si modò intelligant vniversi præter arcanam conscientiæ vim, non alium fuisse secretæ ambitionis scopum; quàm vt extemporanea hac testificatione, æternæ servitutis meæ anathema Rothomagensis Academiæ Tholis voti reus, quod facio religiosa fide, appenderem. Vale & æternùm vive. FRANCISC. CHAMP.

DE GALLIONIS EGLOGA LVSVS, XXI.

ORpheus vt quondam suavi modulamini plectre,
Carmina dum sacræ concinit apta lyræ:
Audijt omne nemus, sylvæque sequuntur, & omne
Immotum cedit sedibus vsque suis.

Vivat ò æternùm! vivat domus æmula celi!
Musarum vivat Gallio, Sacra domus!
Tu quoque, magne Heros, æterna in secula vivas;
Nec nox æternum obruat ulla decus.
Stemmata clara nitent, antiquæ ex sanguine Gentis:
Stemmata collustrant Infula, Sacra, Themis.
Excepit primum victrici Pignora mentis
Fanum, quod cunctis omen in Orbe fuit.
Mactatus populo princeps oracula dictas,
Primas Sacrorum, Pieridumque parens.
Fas mihi sit flos lecte Virùm, penetrare recessus:
Gallionisque Sacri, templa subire tui.
Tangam aras, numenque loci devotus adorans;
Efficiar Genij cultor, & ipse tui.
Nec pigeat (quamquā temerè ausim) hæc munera vatis
*Excipere ignoti; noscitur, ***

LVTET. PARIS. KALEND. SEPTEMBRIS AN. MDCXXXII.

ILLVTRISS. AC REVERENDISS.

CAROLO MONCHALLO,

Archiepiscopo Tholosano.

PRAESCRIPTIO ADVERSVS HAERETICOS. XXII.

GRANDE malum Hæresis, PRAESVL ILLVSTRISSIME, nata præsertim ex sanie anteacti retrò seculi. Cancer est, adeò latè serpit. Vomica, curatu prædificilis; eoque magis quod ea lue siderati, more phreneticorum respuunt medelam, medicum aversantur. Quid cessemus tamen opem tentare, quando nulla DEO acceptior sollicitudo quàm circa animarum salutem.

Ortus apud Aegyptios medicinæ, ab experimentis. Quod singuli etiam è rusticulis & aggrestibus cuique morbo senserant efficax remedium, referebant illicò in acta publica, Amanuensi semper ad forum qui describeret

CAROLO MONOCH.

ret in commentarijs. Ipſum nos erga malè credulos, quos Calvini peſtilens virus afflavit. In commune opus meum quoque Symbolum vt conferrem, placuit magno illi ψυχῶν ἰατρῷ: & verè juxta Clementem Alexandrinum, Pœonio medico. Ceteri meliùs, non abnuo. Sed mihi ordo, ſeries, autoritatum & rationum decimatio, ſenſuum ac verborum rotunditas vbiquè; at hîc præſertim cordi eſt. Eo ductus genio collegi pro meis Popularibus, ex vicennali meditatione & experientia; Summulam Controverſiarum, de præcipuis fidei Dogmatis. Ejuſmodi Inſtitutionem Catholicam, dum abdico me Provincialatu Auguſtoriti Pictonum, inſcripſi magno Vrbis illius Preſuli Rupipozæo.

Sed quoniam iſtud quoque τῆς ὀρθοδοξίας negotium, ſæpè occurrit cum Exteris; ſtylum vertere, pretium duxi. Immo compendium magis & magis affectans, vt ægris palatis minùs diſpliceat: Methodum iſtam pro noſtro modulo concinnatam, adhuc contrahere

ILLVSTRIS. libet. Et Romanè, quia latinè loquentem, imitatione Tertuliani, Præscriptionis titulo indigetare.

XXIII. Rudior è sui manu Autoris elapsa, pergit in tuas, ANTISTES SAPIENTISSIME, vt tui acumine ingenij, limaquè judicij perpolita accuratior evadat. Erat sanè quòd vererer tanti Viri cēsuram, nisi venia à meo mihi officio mox parata, & à tua benignitate. Familia, nomen, fama, dignitas, eruditio, rara in te omnia; hoc mihi opus imposuêre. Imprimis ardor ille & animi robur quo Ecclesiasticam disciplinam excolere, Monasticam satagis reparare. Si feliciter inchoata, pares habent exitus; meritò exultet tuus ille ac noster Tholosę Carmelus, olim magnus: nunc à Numine, & per te in spem & meliorem, & majorem efflorescens.

VRGEBAS ab annis pluribus, ILLVSTRISSIME DOMINE, sed remoræ à rerum similium obstaculis. Majores etiam ex minimæ nostræ Reformationis indole. Illi enim nascenti istud à magno Sorbonę Magistro, verè μακαρίτῃ

Du-Vallio, affixum eſt Elogium; *Multiplicaſti gentem, non Magnificaſti lætitiam.* FRANCISC. MONCH.

Hoc ego imprimis altè didici, imbibi; ſuetus videlicet in vniverſis res pondere, non numero æſtimare: minimum ex auro circulum, ferreo grandiori præponere. Virtutem qualitate metiri, non quantitate; vno verbo, παυϱὰ καὶ ἀγαθὰ quantùm in me eſt, pauca: ſed illa bona, ſed optima cogitare, ſeligere, aggredi; & quando lævum aſpirat à celo, exequi, perficere, abſolvere. XXIV.

PARVIMVS ergo, quia voluit neceſſitas, juſſit autoritas tua, ipſemet præpotẽs DEVS viſus eſt imperare. Neque hactenus, vt audio, noſtri nos pœnitet obſequij. Miſſi è noſtris, qui opus *Reformationis* exhibent in ſe: & premunt facto, magis quàm verbo. Cicurantur interim, & manſueſcunt paulatim, qui ad ipſum nomen exhorreſcebant. Magna veſtra Vrbs Tholoſa prima, Lutetia altera novos Hoſpites gratè excepit, amat in illis ſtrictum vivendi ge-

ILLVSTRIS. nus : tuoque, PASTOR OPTIME, exemplo suppetias jam tulit, pollicetur ampliores. Faxit DEVS! vt tam læta, tam fausta, tam auspicata surgant in eam virtutis & doctrinæ messem; quæ à vestra, & magni apud vos Senatus protectione & sperari potest, & debet σὺν Θεῷ expectari. Dum in præclaro stadio certatim collaboratur, precor ne ingrata sit mea hæc qualiscumque adversus Hæreticos Præscriptio. Nostræ scilicet gratitudinis, meæque præsertim reverentiæ leve quidem, sed à sincero affectu monimẽtum. IN PANAG. CHRISTIAN. LVTET. PARIS. IPSIS KAL. NOVEMB. AN. MDCXLVII.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

ARCHIEPISCOPO FIRMANO

Nuncio in Hybernia Apostolico.

COMMENDAT. PRO HYBERN. XXV.

IVSSV Majorum è nostris aliquot Oceanum enavigantes, ad portum

appellunt vestræ non tam Insulæ, Ex- ARCHIEPI FIRMANO.
CELLENTISSIME PRAESVL, quàm protectionis. Sperant nimirum à tua dignitate, pietate, zelo in DEVM & DEIPARAM; fore vt illius famulis, istius servulis tutelam non dedigneris. Diu sanè est quod filij *Carmelitæ* quæruntur optimæ Matris exilium, & solitudinem in Regno Britanniæ: votaque emittunt, in ejus restaurationem. Scimus autem crebrescente fama, V.I.D. adeò esse inclinatæ mentis in supremi Numinis cultum; vt nostrum consilium non modò humanitate sua, quæ singularis, approbatura sit: sed confirmatura autoritate, protectione coronatura. Quamobrem potior ea sollicitudinis meæ cura esse debuit, vt id Ordini nostro postularē præsidij, quod paterna benevolētia nemini negat; ne Religio quæ omnium prima jure agnoscitur, apud vos vltimò restauratam esse conqueratur. Eoque magis quòd anteactis seculis, vt vestrarum Insularum gloriâ: ita Pedi & Insularum robore suffulti Majores nostri,

ILLUSTRIS; apud tantæ] virtutis Gentem efflorue-re.

Annalium ſiquidem relatu palam fit, renaſcentem modò Eccleſiam, quam autoritate, prudentia, eruditione confirmas; Noſtrorum olim pietate & doctrina, non parum fuiſſe con-

XXIV. decoratam. Vt ergo tantorum Parentum progenies non illegitima, deſolatam furore inimico hæreditatem poſtliminio repetat; ex juſtitia quæ te ſacrum habet oraculum, & ex zelo in reviviſcentem Religionem, quæ te dignum experitur Pontificem, facilè poteris exorari. Quos enim Carmelitas ex eo imperio, quod mihi detrectare nefas fuit, mitto in Hyberniam in Domini vinea collaboraturos; conſtat Patrono indigere, cujus poſſint autoritate fulciri, foveri benevolentiâ. Neque hanc, cùm ſis Chriſtianorum Parens, quia Præſul: neque illam Catholicorum ſacer Aliptes, quia Princeps; petentibus, opinor, denegabis.

Patere igitur, PRAESVL ILLVSTRISSIME, vt nos antiqui Carmelitæ, in

nostræ minimę *Observantiæ* patrocinium tuam opem imploremus. Neque moleste feras si te, quem fulgentissimum lumen tota spectat Hybernia, suum columen restaurandus ambiat Carmelus. Nos certè ita aspirante Numine, sumus comparati; vt post DEI gloriam & Animarum salutem, toti impendamur studio pietatis & doctrinæ. Idque juxta canones minimæ nostræ Reformationis, quæ à quinquaginta annis cæpta per DEI gratiam, in vicina *Minori Armoricorum Britannia*; postquam toti Galliæ tantillùm iuclaruit, etiam pro toto Ordine reformando concordibus votis jam Romæ nuper recepta est. ARCHIEP. FIRMAN.

VERVM præter conscientiam nostræ tenuitatis, irritos fatemur conatus omnes & industrias, nisi benedicamur & à Patre luminum, à quo omne bonum desursum est: & à vestra autoritate, cui nos submittimus; si minùs strenuos, saltem fideles in Vinea DEI operarios. Istud tuæ, EXCELLENTISSIME PRAESVL, protectionis munus; impo-

ILLVSTRISS. net nobis debitum & æternæ servitutis, & perpetuæ orationis pro salute, ac felicitate, quam toto animi affectu adprecamur. LVTET. PARIS. PRID. KAL. AVG. MDCXLVI.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

IOANNI FRANCISCO PAVLO GONDIO,

Sedis Pariesiensis Coadiutori Archiepiscopo.

IDEA VIVENTIS ET MORTVAE BIBLIOTH. XXVII.

QVid sit Bibliothecam vel pectori, vel ædibus includere; nostrum à te seculũ, ILLVSTRISSIME PRAESVL, debet edoceri. Alterum fecisti pridem, totâ mirante Galliâ: ad alterum accingis te, nullo ex Eruditis hiantibus anĩmis non expectante. Sumes nimirùm à te ipso rationem, & formam; cùm iubebis Scientiarum delectus, Autorum primarios, Classium discrimina, series Disciplinarum, Inscriptionum emblemata: statuas, icones, pluteos

pegmata; quæcumque tandem Musei (quæ nostri ævi libido est)vel formant cultum, vel curam adornant.

IO. FRANC. PAVL. GONDIO

NEQVE abibis intereà ab Insularum vel decore, vel munere. Scientiæ enim præfecturam Pontifex exercere debet, haud minùs quàm conscientiæ. Iurant Mithræ & Pedo inaugurandi, divini se Voluminis peritos: fermè illegitimi, si non ad docendum idonei. Propptereaque ex Tabulis Mosaicis doctrina veritatis pectori per gemmas etiam insculpta, nec aliunde quàm ab illorum labijs petenda fidei oracula Numinis oraculum est. Hinc profano ritu perinde & sacro, structæ iam olim in Templis Bibliothecæ: enarrandis Scripturis destinati Ecclesiastæ, quorum Tridentina Synodus transcribit æmulationem. Ne videlicet aut *inermis sit Populorum Religio, aut Præsulum Sapientia inanis*. Id vt minimè metuat Galliarum Metropolis Lutetia, cautum à te est, PRAESVL ILLVSTRISSIME. Immò à speciali Numinis providentiâ, quæ te nobis dedit in lucem gentium:

ILLVSTRIS. vt ad iustitiam erudiens quam plurimos, fulgeas in perpetuas æternitates.

Cerno equidem lubens ex Episcopali corona plerosque omnes stirpis gloriâ, Maiorum famâ, familiæ splendore, & opibus: ingenij, & animi laude conspicuos. Ævoque præsenti gratulor, hisce dotibus quas prodiga manu ab incunabilis Natura affudit; plurimos Antistitum tibi aut pares haberi, aut proximos existimari. Enimverò proprium tibi istud est Encomium, ac fermè extra consortes; virtutis simul & eruditionis cumulo, vltimas Archiepiscopi partes feliciter adimplere.

XXVIII. PEPERIT te Gondiorum Gens, Ecclesiæ & Regno nata: Sorbona extulit, magna ingeniorum altrix, & fidei Catholicæ propugnatrix. Mutuatum est tantisper Capitolium, suis propè sedibus attinendum; ni revocasset Gallia, vt in te vno optimi vtiquè Pastoris formam susciperet, suspiceret, diligeret, complecteretur. Sedenim dum tam variæ dotes aliorum admirationem par-

partiuntur, certè mihi clarissimo generi, & nomini dudum consecrato, vnum imprimis volupe est. Illud quid sit, edicam. IO. FRANC. PAVL. GONDIO

Martyr Leontius, sacri referunt Annales, Origenis sinum per frequentissima basia osculabatur suavissimè: in augurium profectò, futuræ ad miraculum eruditionis. Ita tuum ego pectus, ANTISTES LITERATISSIME. Et quidni vt faciam reverenter, permittat humanitas tibi adnata? Adytum veneror politioris literaturæ, linguarum officinam, penetrale Sophiæ cuiusvis: humanæ simul & divinæ Eloquentiæ sacrarium, nulliusnon eruditionis emporium; & quod apud me summum, ἔμψυχον βιβλιοθήκην. Volui dicere cum Hieronymo, pectus illud tuum: quod omnis Theologiæ paratura, *Christi fecit Bibliothecam*:

XXIX.

Quæ dum altè mens mea reputat, facilè sperat veniam; tuum in sinum, MAGNE ANTISTES, deponendi conceptam ante plures annos de Musei, seu Bibliothecæ structuram. Scio in

ista

ILLVSTRIS. ista præsertim materia; vetus verbum;

Velle suum cuiquē est; nec voto vivitur vno.

Quare, Censoribus Disciplinarum fecerim-ne satis, minimùm curaverim. Sat felix de cetero, si nostra hæc quantulacunque industria, te iudice non omninò improbetur. Affectum saltem & reverentiam erga te meam, non reprobatam iri confido; quando virtutis ac scientiæ cultores non potes repellere, qui te ipsum vtroque grandi titulo debes amare. Hinc itaque exoritur

IDEA

MORTVÆ, ET VIVENTIS BIBLIOTHECÆ.

XXX. BIbliotheca ex Libris, vt Homo in scientijs, tantumnō instruenda. In vtroque initia patior ire à minoribus ad maiora, à cognitis ad ignota, à sensilibus ad spiritalia. At vbi cùm ætate maturuit ingenium; consummato Viro iam alter in Scientijs ordo: alia:

quoque Librorum, & Bibliothecæ ratio. Tunc enim quia finis ipse, se perficit mediorum recisione; pauca, simplicia, rara, magna, amplector. Vtrique ex æquo deservit præsens IDEA. IO. FRANC. PAVL. GONDIO

IAM Eruditi, à fine qui DEVS est, per Theologiam agnitus, in anteriora reflectent. Quos adhuc iurare in verba magistri ætas cogit, & consuetudo: per priora, incrementa capient ad vsque umbilicum.

Iunioribus cum Polygraphia, Grammatica, Poëtica & Rhetorica Vulgari; statim (quod Græcis, Chaldæisque olim fuit in vsu) aliqua è Mathematicis imprimenda, nostra dudum opinio est. Nonnulla etiam in molli ætate, è primarijs classibus omittenda; Puta Stenographiam, Criticam, variasque Gentium historias; ne mole nimiâ, iudicij teneritudo opprimatur.

Cùm enim, vt alibi fusiùs, Scientiæ quædam sint accommodatæ sensibus, quædam imaginationi, quædam mentis purissimæ ratiocinationi; Pueros quorum sensus & imaginatio maxi-

ILLVSTRIS, mè vigent, eiuſdem generis Scientias amplecti par eſt; puta Grammaticam, Poëticam, Rhetoricam, Hiſtoriam, Coſmographiam, Mechanicas, &c. Viri in quibus floreſcente vi intellectus Puerorum primariæ facultates defloreſcunt, debent cum naturâ longiùs diſcedere à nugacibus Scientijs: totique conſeneſcere in illis quę virtutem formant, mentem acuunt, animum elevant; vno verbo, Sapientem & Sanctum efficiunt. Qua in claſſe reponuntur Philoſophia, Ethica, Mathematica pura, Methaphyſica, Theologia omnis.


1. IGITVR *Tros, Rutulus-ve fuat*; Adoleſcens Muſarum candidatus, ſeu iam Sapientiæ myſterijs inauguratus Pontifex; cõmodùm vti poterit, noſtra hâc Bibliotheca. In qua quidem velut in Sapientiæ Vniverſalis laterculo, per diverſas Claſſes Encyclopediæ, varia iterum partitione diſtributas, ſummatim colligi poſſent in vnaquâque Sciẽtia, arte & diſciplina. 1. Autores primarij cum eorum Operibus, iudi-

cio critico, notis, animadversionibus; vltima, & correctiori impressione. 2. Autorum, & Scientiarum Abbreviatores. 3. Insigniores, qui post primos eandem materiam pertractarunt. 4. Acuti, curiosi, & elegantiores: 5. Illustriorum Scriptorum varijs de vnaquaque materia Tractatus, seu capita suis locis indicata. Sciunt enim omnes naris emunctæ, Librorum scientiâ & indice; plerosque hoc fallaci ævo scientes & eruditos existimari. Sic instructum Hominem, quid-ni vivam dixeris Bibliothecam? Ad eandem quippe amussim vterque dirigitur. Sit itaque descripta deinceps in Programmate.

IO FRANC. PAVL. CON DIO

STRVCTVRA, ET ORDO

II. BIBLIOTHECAE.



- V *Chronol.*
  - Sacra.
  - Profana.
    - Ecclesiast.
      - *Vet.Test.*
      - *NoviTest.*
    - Monast.
      - *Generalis.*
      - *Carmelit.*
      - *Aliena.*
- VI *Historia.*
  - Sacra.
    - Vetus.
    - Media.
    - Nova.
      - *Regni.*
      - *Provinc.*
      - *Patriæ.*
      - *Locorum.*
      - *Personar.*
  - Profana.
    - Domestic. Galliæ;
    - Extera.
      - Vetus.
      - Nova;
        - Orient.
        - Occid.
        - Merid.
        - Septentrional.
          - iv. *Mundi Monar.*
          - *Turcarum.*
          - *Novi utrisq. Orbis.*
          - *Hispan.*
          - *Neapol.*
          - *Italica.*
          - *Veneta.*
          - *Sabaudiæ.*
          - *Helvetiæ.*
          - *Belgij.*
          - *Germaniæ.*
          - *Poloniæ.*
          - *Sveciæ.*
          - *Daniæ.*
          - *Norvergiæ.*
          - *Moscoviæ.*
          - *Bitanniæ Maior.*
- VII *Genealogia;*
  - Familiar.
  - Stemmat.

VIII *Logic.*
- Latina.
- Gallica.
  - Vulgaris.
  - Cabbalistica.

IX *Philosoph.*
- Aristotelis.
  - Dogmatica,
  - Explicata à
    - *Christianis, & Profanis.*
- Platonis.
- Barbara.

X *Medicina.*
- Historica; describens
  - *Plantas.*
  - *Pisces.*
  - *Aves.*
  - *Animalia.*
- Dogmatica.
  - Therapeutica.
  - Pharmaceutica.
  - Chihurgica.
- Spagirica; vbi de
  - Metallis, & Alchimia.

XI *Ethic.*
- Aretica.
- Oeconomic.
- Politica.

XII *Iurisprud.*
- Cæsarea.
- Politica.
- Gallica.
  - Ecclesiastica,
    - *Pragmatica.*
    - *Concordatorum.*
  - Civilis.
- Extera.

XIII *Mathem.*
- Arithmetica.
- Geometria.
- Musica.
- Cosmographia.
  - Ouranographia
    - *Igne & Aere.*
  - Meteorologia, vbi de
    - *Ventis, & Nautica.*
  - Hydrologia; vbi de

- **XIV *Mechan.***
  - Optica.
  - Horologica.
  - Pictura.
  - Statuaria.
  - Architectura.
  - Polemica.
  - Agricultura.
    - Venatio.
    - Piscatio.
    - Aucupium.
  - Mercatura.
    - Numi.
    - Pondera.
    - Mensuræ.
  - Somatica.
    - Victus.
    - Vestitus.
  - Theatrica multiplex.
- **XV *Theologia.***
  - Naturalis.
    - Chaldæorum.
    - Aegyptiorum.
    - Græcorum.
    - Latinorum.
    - Turcarum.
    - Novi vtriusque Orbis.
  - Supernaturalis.
    - Patriarcharum.
    - Hebæorũ;
      - Vera.
      - Rabbinica.
    - Christianorum.
      - Positva,
        - *Antiqua.*
        - *Media.*
        - *Moderna.*
      - Sacræ Sript.

Dogmatica Conciliorū; { Orientalium. Occidēt. } { *Gener.* *Nation.* *Provinc.* }

Exegetica, Sanctorum Patrum; { *Græcorum.* *Latinorum.* }

Canonica, Casuum conscientiæ.

Catholica, cōtra Hæreses. { *Antiquas.* *Novas;* *quorum* *Scriptores* } { *Luther.* *Calvin.* *Promisc.* }

Mystica, { *Vetus.* *Nova.* }

Scholastica. Ritualis. { *Gallica.* *Extera.* }

Superstitiosa, { Magia. Dæmonomania. }

XVI *Miscellanea.*

Collectânea, { Impressa. Manuscripta. }

Bibliothecarij.

Paradoxa.

Curiosa.

Temporanea.

Ludicra.

Ergastulum, in quo Libri damnati; { Athei, Superstitiosi. Sordidi. }

Delineabatur AN. MDCXXXVI. Dedicatur XII. Kal. Septemb. AN. MDCXLVII.

ILLVSTR.MO AC REVER.MO

PETRO DE MARCA,

Archiepiscopo Tholosano.

SAGRA MONT. MARTYR. MONVM. I

QVI ita ſapis emendatè rectèque judicas quoties libet, ERVDITISSIME PRAESVL; ſummam in antiqua omnia tum Eccleſiæ, tum Regni monumenta dictaturam viſus es promereri. Scio ego imprimis, quanti ſtylum tuum fecerit Eminentiſſimus *Richelius*. Non mentior, qui extremos morientis ſpiritus excepi, dum refero viventem à me auditum ſæpiùs de te, & ſemper cum elogio, diſſerentem. Publico quoque ſuffragio obtinuiſti, VIR MAGNE, vt cum omnibus Eruditis Roma æquè ac Lutetia raræ Eruditioni tuæ conſentirent, ſubſignarent, applauderent, Meritoque dubitant vel ſcientiſſimi ac literatiſſimi, quid

in te magis emineat; prudentia, eruditio, eloquentia?

CERTE quoties reconditæ ſapientiæ verba eloqueris, omnia ſic cõparas, vt
II ſint adamuſſim & libellã: limites ſic prę-figis, vt nulli determines; potiuſq; narres facta, quàm jura definias. Iam ſic verſatũ te paſſim oſtendis in antiquioris & vtriuſque Diſciplinæ arcanis reſignandis, vt Hiſtoria Sacra æquè ac Profana, Concilia, Decreta tum Pontificis, tum Cæſaris, in tuum pectus confluxiſſe videantur. Poſtremò latinitas effloreſcit ſic vivida & valida, ſic erudita & nihilominus elimata; vt ſtylo vel caſtigatiſſimo, poſſis creare invidiam.

EA nimirum vniverſa via mihi aperiunt ad tuum, ILLVSTRISSIME PRAE-
III SVL, tribunal perinde ac patrocinium. Paulò antequam diſcederem Lutetiâ, egi non illegitimo certamine adverſus hoſtes Eccleſiæ, Galliæ, Lutetiæ, *Montis-Martyrum*. Qui S. Dionyſij Areopagitæ Vocationi, Couverſioni, Miſſioni; in Gallias, Prædicationi, Martyrio,

Triumphis, Scriptis, Reliquis per Conciones octo lingua & calamo litavi; non tuli Antidionysianos, non sustinui Antiareopagitas, contra fas & æquum in sanctissima quæque Ecclesiæ & Galliæ monumenta debacchari.

APOLOGIAM igitur præstruxi de antiquis Montis-Martyrum monumentis, VI
deque ceteris Dionysianis: præsertim vt eximiæ pietatis inclytæ illic Abbatissæ *Guiziæ*, pro meo modulo, & omnibus noto affectu, facerem satis. Quia verò idoneis Iudicibus non displicuit de tota hîc controversia referri, Romano ore induci debuit in Rostra, si vis in Capitolium, longè verò potiùs in Aesquilinum, & Vaticanum. Sedenim ne periclitetur causa ex se nimisquam ardua, tamen justissima, te modò Patronum appellat, te Tutorem interpellat; Virum nempe pietate, eruditione, integritate ceteris notissimum, mihi verò pridem & sæpè exploratissimum. ROMAE KAL. SEPTEMBR. AN. MDCLX.

ILL.MO AC REV.MO

N. PICOLOMINAEO

Archiepiscopo Cæsariensi,

E T

Apud Regem Christianissimum Nuncio Apostolico.

V QVæ priusquam Lutetiâ discederem prædicta à te mihi fuerunt, ILLVSTRISSIME PRAESVL, Romæ experior in dies. Quies in Vrbe, si paulò magis æstus & celum Extraneis faverent, quæ alibi rara. Honos ab honoratis, cum delectu & constantia. Summa demum felicitas videre, & videri abs Alexandro VII. cui tantopere approbantur pietas, eruditio, facundia; quia dotes illas omnes in

ſummo poſſidet, ipſe per omnia ſũmus. Licuit revereri quos toties mihi nominaſti cum elogio è Patrum Senatu, ſuâ etiam purpurâ pluribus ſubinde titulis eminentiores. PICOLOM.

VI QVOAD Ordinis Carmelitici, noſtræque *in Gallia* Reformationis negotia, agi non poterat in publicis Comitijs aut ſanctiùs, aut prudentiùs, aut feliciùs. Electus Generalis, qualis optatus à bonis. Adjuncti, quia applaudente toto Capitulo iuſſit Sanctiſſimus, ſolentque alij Ordines plerique, *Aſſiſtentes* ex quatuor præcipuis Nationibus totidem. Regularis Obſervantia ſuis Conſtitutionibus eò magis aſſerta, quod decreta ſunt Apoſtolica, vindicata Superiorum autoritas: Rebelles, & qui per contentiones, calumnias & lites ſcandala cient, ad meliora conſilia invitati. Ac ne pluribus detineam longè gravioribus occupatum, acta omnia pacatè, ritè, ſanctè; ideoque & protinus, à Sanctiſſimo approbata.

Vnus in ceteris pacis publicæ fructus, extitit mira & incredibilis, quia

ILLVSTRIS. ARCHIEP.

huc vſque in iſtiuſmodi rebus inaudita, *Gallorum*, *&* *Hiſpanorum*, felix concordia. Cumque nihil ſit actum niſi etiam videntibus & approbantibus Eminentiſſimis hîc Galliæ Protectoribus, eadem & in Aula contra tricantes & perperam litigantes, potiùs vitiligantes, approbari, credo, non erit operoſum. Sicubi, ILLVSTRISSIME, veſtra opus fuerit autoritate, eam profecto non dedignabere; qui præter cauſæ juſtitiam, res Monaſticas, Eccleſiaſticas, Pontificias curas pari zelo, robore, & prudentia. Atque vt de noſtris ſis gnarus ſigillatim; *Decreta Capituli* tranſmitti jubet noſter Reverendiſſimus Generalis, tuo nomini, tuiſque meritis non aliter quàm ego addictiſſimus. ROMAE X. KAL. SEPTEMB. AN. MDCLX.

EBRODVN.

ILL.MO AC REV.MO

N. FVEILLADAEO

Archiepiſcopo Ebrodunenſi,

Et

Ad Sereniſsimam Rempublicam Venetam Regis Chriſtianiſsimi Oratori Legato.

COMMEND. DVPLEX. VIII

NOvum me Romæ inquilinum adire Te PRAESVL ILLVSTRISSIME, per latinam Epiſtolam nemo mirabitur; qui te noverit, Romanæ ſcilicet Eccleſiæ impaucis addictum, omniquè porro eruditione haud vulgariter inſtructum. Propria ſcilicet ſcientiæ & eloquentiæ decora inſeris tum tuæ nobilitati conſpicuæ, tum tuæ per Pedum & Infulas in Eccleſia dignitati primariæ. Splendores eiuſmodi ſæpè in Galliæ celo ſuſpeximus, hîc verò totâ ſpargi Italiâ amo ego imprimis &

summè gratulor. Vt verò expertus sum
ILLVSTRIS. ARCHIEP. te Lutetiæ, & in nostra Aula perinde humanissimum, ingens mihi fiducia obvenit ad tuum confugiendi patrocinium: *duo* si das veniam, enixè rogaturus.

CONCEPTO scilicet dudum voto pro Pace, missu etiam Reginę Matris Christianissimæ, tandemque Superiorum jussu, cum votiva quam baiulat ipse DEIPARAE Statua, pergit *Hierosolymam* Fr. Crispinianus è nostro Ordine Carmelitano, nec-non Observantia Rhedonensi Laicus. Nullus ad solvendum illi, & amicis, visus est portus commodior Veneto. Devotus Peregrinus & pacificus vt tua, PRAESVL ILLVSTRISSIME, cum protectione & benedictione feliciter itineri se accingat, facilè credo patieris exorari.

SVBEST & aliud non quotidiani momenti, pro quo etiam scribit noster Generalis; cuius Viri præstantissimi nupera electio, & ipsa beatæ pacis fructus extitit. Quod illi incumbit negotium iubet per me ad vos transmitti;

vt si optimum Ecclesiæ, Religioni, Imperijs consilium in aliquo potest iuvare. V. E. apud Serenissimam Rempublicam, saltem vel Henrici Magni exemplo, favere minimè dedigneris. Ac ne sis nescius de causa justissima, seriem rei enarrat annexum hîc Memoriale. ROMAE KAL. AVG. AN. MDCLX. BORGIA.

ILL.^MO AC REV.^MO

LVDOVICO CRESPI BORGIA

Episcopo Palentino,

Et

Apud Sanctam Sedem Regis Catholici Oratori Extraordinario.

CONCEPT. IMMACVL. X

PATROCINATVRVS Conceptioni Immaculatæ Matris DEI, accedo ad te, ILLVSTRISSIME ORATOR, ne in gravi materia ἀσύμβολος, inveniar. Actum equidem agere non est mei ge-

ILLVSTRIS. EPISCOP.

nij ; sed ea dumtaxat summatim colligere, quæ in favorem tanti privilegij mihi videntur magis idonea & accommoda. Neque ducam Religioni mediatorem agere illius, quæ totius Generis nostri Mediatrix est. Sic itaque aggredior simplici figura repræsentare, quæ animo & calamo se se vltrò offerunt.

MARIA semper quidem Virgo fuit *singularis*, sed tum maximè cùm *transiit* ex inani & nihilo ad vitę simul & gratiæ vsuram. Tunc nimirum pulchri gressus filiæ Principis in calceamentis, nulla originali labe sordidis. Tunc circumdata iniquitate calcanei, sed nullatenus saucia. Tunc iam ab initio Dæmonis & peccati profligatrix, feliciter calceata serpentis caput elisit, peccati germen & vitiorum radicitùs extirpavit. Tunc amicta Sole, Lunam calcans, Stellis redimita, Draconis irã eludit; Arcaque Sanctificationis, subtrahitur cuiusvis noxæ funestissimo diluvio. Tunc suâ DEVS gratiâ obumbrans super Caput Mariæ in die belli,

plenariam illi victoriam præparavit. BORGIA.
Tunc applaudit Sapiens Idiota; *Tota pulchra non in parte, sed in toto: Et macula peccati, sive actualis, sive originalis non est in ea: nec unquam fuit, nec unquam erit.* Prima illa emissio flos fuit Paradisi, omni eliminatâ seminis corruptelâ; flos mali punici, iam in radice coronatus. Rosa demum sine spina, idcòque Spineti gloria. In ipsomet materni vteri introitu cadentibus ceteris, sola astitit triumphans à dextris DEI; vtpotè prædestinatorum Regina filio fermè collateralis, collega: eodemque, cum illo, decreto destinata: & communi Redemptionis officio, ex illius benignitate, singulariter reservata.

XI
EGREDITVR virga de radice Iesse, nullo criminis pondere incurvata: sed iam germinans flore, & fructu Nazareno. Adiuvit eam DEVS diluculo, nusquam in medio eius cõmotus; quia, egregio interprete Ambrosio, *nullius peccati prolapsione*. Commovetur verò DEVS, *vbi aliquis gravius peccat, vt ab eo transeat. Vnde & Adæ peccanti, deam-*

ritè ei in principio salutationis dicitur, Ave id est sine væ. BORGIA.

HAEC dum stylo fusiori explicat Concio Selectis Latinis inserenda, claudo Augustini proloquio veluti gēma; *De Maria propter honorem Domini, nullam prorsus dum de peccatis agitur, volo habere quæstionem.*

Nec contraria tam opinantibus, quàm ex condicto, & Scholæ genio vētilantibus, aliud reposuerim; quàm ipsiusmet Scholæ Angelicæ Coryphæi, Thomæ Aquinatis, sententias celte silici, & marmori incidendas. MARIAM scribit *purissimam, quia nec Originale, nec Mortale, nec Veniale peccatum incurrit. Ab Actuali, & Originali* facit Immunem. *Auroram* ait ritè appellari, *quia in ortu, seu nativitate à peccato originali fuit* immunis. Ratiocinatur demum, prout solet subtiliter & acutè. *Puritas intenditur per recessum à contrario. Et ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, sine ulla contagione peccati. Talis fuit puritas Beatiss. Virginis*; quę peccato originali, & actuali fuit immunis.

tentia peccandi, quâ felicissimè caret Numen. BORGIA.

Eo nimirum sensu Virgini Matri nostræ contigit, quod v. g. nostro Patri Eliæ. Hic morti obnoxius propter crimen originale, illa peccato originali. Ille debitum nondùm solvit, potestque donari privilegio vitæ sempiternæ. MARIA, esto debuerit incurrere reatum primigenium; singulari, amplissimoque gratiæ privilegio vixit, vt decebat, immunis. Lex ergo generalis, non inducit nisi debitum generale, satisque est eam vigere in pluribus.

XIII. CETERVM ipsa exceptio firmat legem. Et animadverti olim latas, & ratas à DEO leges, aliquo semper privilegio interruptas. Sol gaudens motu irrequieto, ad Iosue imperium sit statarius. Terra, quam iussit Conditor stare in ęternum, tota succutitur CHRISTO moriente. DEO que decorum profecto est, miraculis per omnia genera inclarescere.

Adde quod favent Immaculatæ Conceptioni eædem omninò rationes,

veneror, non aliter, quàm ille Aram adorabat in Græcia, quia nunquam polluta fuerat, aut contaminata. Id verò ipsum debent Christiani omnes. Nam si Bernardi encomio præexcellenti, Beata Virgo ritè nuncupatur negotium omnium seculorum; quod agis modò tam felicibus auspicijs in gratiam Conceptionis Immaculatæ, tam verè, quàm audacter appello negotium omnium Christianorum. Vsque-adeò vt si licuit eloquentissimo Tertulliano scribere, quod nemo inficiatur, *in crimine Maiestatis omnis homo miles*; dicam & ego iure vix inferiori, in crimine læsæ Conceptionis DEIPARAE omnis Christianus-Catholicus miles est.

CORNVLIERO.

Glomerantur propterea vndiquè & ex omni ordine, turmæ, phalanges, agmina, cunei, legiones integræ. Quidni & ego parthenicæ militiæ albo immaculato, cum meis MARIAE cultoribus primarijs, ascribi non allaborem? Infans apud Herodotum intento in iugulum genitoris gladio, ruptis à natura

In Vrbe 1. kalend. Octobr. An. MDCLX. CORNVLIERO.

ILL.^MO AC REV.^MO

PETRO CORNVLIERIO,

Ecclesiæ Rhedonensis Episcopo.

VITA V. IO. SORETH. XVII

NEsciat, profectò, ILLVSTRISSIME ANTISTES, vel eum splendoris ac dignitatis gradum, quem gloriosè sustines in Ecclesia, vel certè nostri erga Antistitium officij partes ignoret; quisquis dubitarit inter Mortales quid causæ sit, cur primigenium istud *Opus* tuo potissimùm Nomini voluimus nuncupare? Sanè enim pietate & doctrina conspicuus, in Armoricorum Metropoli spiritalis gubernacula imperij prestanti cum laude moderaris. Et ea

ILLVSTRIS. ARCHIEP.

nimirum in Vrbe primaria, *Carmeli* familiam divino iam munere reflorescentis, melioris culturæ cœpisse originem, palàm est. Quæ duo nemo intelliget prudens, quin statim verè haud minùs quàm sapienter affirmarit de nostra Gente; quod Orietalibus olim Populis solemni ritu vsitatum, Strabonis autoritate condocemur. Nimirum *Agri sacri primos fructus legere debet, àc percipere vrbis Pontifex.*

Ad id verò muneris sua iam sponte inclinantes animos non tam stimulavit officiosi cultus publica testificatio, quàm impellebat exolutio debitæ servitutis. Interim Dignitatis tuæ fastigium, auctu virtutum, ad sacrum fermè horrorem, insigniter cumulatum; cupidos suarum partium ab isto vel ausu, vel officio, nedum beneficio, non parum retardavit.

Nam si olim rogatus Miles notæ inter Romanos illustrioris, cur verecundus, & quasi erubescens ab Augusti facie averteretur; pulcherrimo, ac-

ceptissimoque acromate respondit, *Fulmen oculorum tuorum ferre non possum.* RHEDON.
An-non, amabo, id quod ab ore militari fucata quædam & Principum libidini serviliter ancillans expressit adulatio; hoc religioso calamo impetrabit impræsentia sincera veritas, tuæque virtutis reverentia ac dignitas? Parcit modò stylus tuæ integritatis, castimoniæ, liberalitatis, doctrinæ: & quæ tibi laus est præcipua ac palmaris, ardentissimi zeli, ceterarumque ornamenta virtutum, quibus Pedum & & Infulam mirum quantum illustras, invidioso ad humilitatis tuę, nostrique modestiam silentij catalogo recensere. Scimus sanè nos Clientes tui, & norunt hebraicè periti; Populorum, vt vocat Divus Hilarius, *Principes Episcopos* arcanâ linguâ, & si libet ipsismet Angelis familiari, illustres ac splendidos: Episcopatus verò, quod quadam eruditionis claritudine ac fulgore virtutis admirabiliter elucescant, *Claritates* appellari. O raram tuam laudem! RELIGIOSISSIME PRAESVL;

ILLVSTRIS. ARCHIEP. quâ reliquis Mortalibus longè multùm præcellens, propiùs ad celeste iubar accedis. Atque adeò sidus æmulum, maius quoddam videris habere commercium cum nostro illo IESV Episcoporum Episcopo. Quin & exinde eius imaginem refers, supremi Autoris luminum DEI; qui quidem non alio magis quàm solis nomine, nec-non lucis figurâ amat insigniri.

Patere igitur, CLARISSIME ANTI-
XVIII STES, dum nos conscij tenuitatis nostræ, ad tantæ Dignitatis ac Virtutis coruscationem oculos claudimus; tenellam hanc prolem iam olim felicissimè conceptam, nunc verò tandem novo, primarioque nostro fœtu feliciter, vt speramus & vovemus, procreatam: à tuæ Dignitatis, æquè & Virtutis splendore inspirari, foveri, animari, vegetari; ac demum sub amica tuæ lucis & caloris vmbra, incalescere simul & in annos porrò seculares inclarescere.

EA siquidem spe & reverentia te

reſpiciunt, inter nos vniverſi; vt (ne abeatur ab hac Solis imagine) medium ſuſpiciant te inter DEVM & Homines, creditos tuæ curæ Paſtorali. Vnde abs cognata illa luce æterna, æviterni luminis radios mutuari te credant; quos deinde gratiùs, & vberiùs refundas in noſtram tenuitatem. Quod ſi non ampliùs naſcenti fœturæ, ſed iam paulatim augeſcenti, tuæ in nos benevolentiæ favorem inſpirare perrexeris; felici iam vaticinio auguguramur omnes, ſimulque ſperamus Numen propitium, lætaque vniverſa. Iamque bona fide pollicemur fore, vt qualiſcumque hæc noſtra *Regularis Obſervantia* in proprio veſtræ Reverentiæ ſpiritali ſolo concepta, nata, adulta, & dudum circumquàque haud ingrata propagine diffuſa; æmulam ſe præbeat Statuæ illius, apud Ægyptios famoſiſſimæ. Nempe Solis vſque-adeo corruſcantis luminibus irradiati, firmiores aliquando voces emittemus in publicum, noſtri veſtram erga Reverentiam cultus, obſervantiæ & affectus monimentum.

ILLVSTRIS. EPISCOP.

Audiat Fides, audiat veritas, quod nos interim non personata fide: sed fideli pectore castissima vota, quæ concipimus vniversi. Scilicet vt postquam diutissimè Orbi nostro illuxeris, serò tandem amicum nostræ Gentis sidus in perenni æternitatis firmamento luce exorneris nusquam intermoritura. Ita vovet, seque totum & sua V. D. prisca ac religiosa fide devovet. CARMELVS RHEDONENSIS ARMOR. KALEN. DECEMB. AN. MDCXXV.



PICTAV.

REVERENDISSIMO, COLENDISSIMOQVE

HENRICO LVDOVICO

CASTANEO RVPI-POZAEO,

Episcopo Pictaviensi.

QVAT. EEANGEL. CONCENT. VNIC. XX

TRalatitio cultu humanitatis à Cliente tuo non tam mittitur tibi, ANTISTITVM DECVS, quàm sponte sua procurrit in sinum quærens publici vtilitatem, concinna hæc *Evangeliorum Textura*. Nempe norunt omne qui Galliam, qui Europam, qui Ecclesiam non ignorant; pietatis simul ac doctrinæ studia in amoribus tuis sic esse conjugata, vt quicquid ab alterutra virtute enatum Sol aspicit, tibi iure quodam debeatur patrocinij. Nam quod olim non benè docto Imperatori abblandiens Poëtarum acutissimus, hoc tibi veritatis suffragio defe-

ILLVSTRIS. EPISCOP.

rendum nemo vllus inficiabitur; vel Musis non vacas, vel tuis certè, sacris nimirum vacas, & quidem admirabiliter. Hoc non ingrata Seclorum posteritas fatebitur, dum gloriæ tuæ monimenta euucleatis in vniversam Scripturam Commentarijs ab Antecessoribus accipiet: & laureas pietatis ac doctrinæ, quas à solo Agonotheta DEO speras, expectasque; ad nostri ævi inviriam, grato minùs quàm debito officio rependet.

EGO certè morarum impatiens, ex quo singulari Providentiæ beneficio Genij tui Reverentiam penitiùs inspicere, per eam licuit humanitatem, quam in te demirantur vniversi; hoc levidensi munusculo devotæ mentis servitutem, tibi si cuiquam Mortalium vtiquè consecratam, vt olim idiomate Francico, sic iam Romano propalare exoptavi. Quantum porro pretium sit in hacce Opella publicæ vtilitatis, sive cordis meditando, sive oris concionando, sive calami scribendo; qui legent, dispicient: nec opinor, despi-

cient. Si modò æquis, faventibusque oculis aspicias, quod olim maioris tantillùm Operis dedicatione, nunc verò, novo labore Amanuensis tuum est. Vale, & fave. AVGVSTORIT. PICTAV. IN NATALITIO D. IESV AN. MDCXXIX.

RAYNVT. SCOTT.

ILL.MO AC REV.MO

RAINVTIO SCOTTI EPISCOPO,

Nuncio Apostolico.

GRATITVDO. XXI

VT auderem calamo manum admovere tua, ILLVSTRISSIME PRAESVL, suasit humanitas haud quotidiana, imperavit mea erga te reverentia singularis. Ex quo enim me non magni nominis, meriti verò nullius hominem benevolentiæ suæ sinu complecti dignata est Dominatio tua, & Sanctæ Sedis Apostolicæ in omnibus æquis, legitimisque protectionem polliceri; statui apud metipsum de re-

ILLVSTRIS. EPISCOP.

bus nostris quæ pretium aliquod ha-
berent, aut momentum: sincera sem-
per & vt soleo in omnibus, aperta men-
te ad vestram dignitatem referre.

GALLIAM reperi, qualem suspicaba-
mur. Nostri verò negocia Ordinis, ad
spes vtiquè meliores paulatim incli-
nantia. Postulata passim hinc inde stri-
ctioris Observantiæ Disciplina, quo ta-
men in opere *σπεύδομεν βραδέως*. Na-
turæ scilicet & gratię imitamento, qua-
rum vtraque molitiones suas lentè ma-
turat. Vera, vetusque adagio; sat ci-
to, si sat benè. Iamque exploratum
nimis, ea in re (quod & in ceteris)
nomen & famam vitæ *Observantioris*,
quæri sæpiùs, quàm rem ipsam & effe-
ctum. Numquam ex Numinis indul-
gentia, eo vsque noster processit am-
bitus. Non optamus plura, sed po-
tiora. Nec ad multitudinem, plau-
sum-ve popularem vitæ genus institui-
tur: sed vt simus quales & esse, & æ-
stimari debemus; sancti, & imma-
culati coram supremo illo Iudice, &
πανοφθάλμῳ.

Nec

Nec interim languemus otio, aut vestra erga Reformationem studia patimur per nostram socordiam cassum abire. A vobis reversus Curiam salutavi, Lutetiam, amicos. In istis plures, & è primoribus tuæ, PRAESVL ILLVSTRISSIME, nobilitatis, generositas, industriæ tam memores quàm amantes. Stadium in regio San-Germani Pulpito per Quadragesimæ Conciones decurrentem, fermè abrupit: certè interrupit momentanea λειποθυμία, & ea à remedio intempestivo. Vnde minùs periculi, quòd vt Patronum moneo; quia de obitu meo vulgata fama est, etiam apud vos. Triduum post redij ad Suggestum, & proxima Concio auditorem habui à vestris partibus Eminentissimum *Barberinum*. Necdum tamen abs saturnici Solis & pelagi vestri æstibus, satis confirmatam habeo valetudinem. Sed per gratiam CHRISTI IESV, dudum paro me ad vltima: nec monitu Evangelij, facio animam meam me pretiosiorem.

RAYNVT. SCOTT. XXII.

INTEREA excuduntur illæ Roforma-

tionis nostro in Carmelo, & vnifor-
mitatis *Constitutiones*. Pro illarum re-
cognitione secundùm Capituli Gene-
ralis decretum, & Pontificiam per Bre-
ve Apostolicum approbationem; tibi,
POTENTISSIME PATRONE, manent in
æternum obligati quotquot ad melio-
ra inter nos charismata anhelant]. Post
Paschalia Lutetiâ discedo, Provinciam
ex officij debito visitaturus. Stat sem-
per consilium, quod Romæ insinuavi;
quantociùs per religionem & pru-
dentiam fas erit, eo me jugo exone-
rare. Munera conscientiam premen-
tia nunquamnon metui, & semper
fugi. Pietas & eruditio secessum quæ-
ritant, & otium. Vtraque mihi sem-
per in amoribus, & delicijs. Obruunt
iam aliæ *occupationes*, revera nimiæ. Sic
etiam liberiùs erit vacare promoven-
dæ per alias Plagas, quantùm dede-
rit DEVS, Asceticæ nostræ Disciplinæ;
à qua favente Numine, aliquem pie-
tatis & doctrinæ proventum sperare
potest Communis omnium mater Ec-
clesia. Hanc deamo vnicè; cum ea, &

sub ea Reformationis firmitudinem, Carmeli decus. Postremò funibus meis in præclaris eo modo deciduis, solutior ero; vt totus in tuum dominium & obsequium tradam me. Cape, si non dedignaris, ex ære & libra tuũ. LVTET. PARIS. PRID. KAL. MAII AN. MDCXLVI.

ANTISIOD.

ILL.MO, COLENDISSIMOQ.

PETRO DE BROC,

Antissiodorensi Episcopo.

SPECIM. CRITIC. AVTORES LEGEND. XXIV.

AVtorum notitia, & χρίσις, magna hoc præsertim ævo pars eruditionis & doctrinæ. Quam quia seriò abs te coli incipit, PRAESVLVM AMANTISSIME, quà præsertim Ecclesiastica est; tantillum delibare, non ęgrè calamo imperavi. Causa haud alia profectò, quàm tua adversum me benevolentia: mea erga te reverentia, & observantia singularis. Et verò cum nudius tertius inter Musei ἀποκρύφια, de illa met materia sermo incidisset; quod

olim ſuper ea à me tentatum indicavi, & promiſi. Fidem modò exolvens, in omni propemodùm Diſciplinarum claſſe, *Autores* aliquot è multis recenſeo; vt ceteris dijudicandis, cedant in exemplum. Si quos omnes plusminùs-ve ſalutavi, recognoſcendi fuiſſent; fortè actum agerem, certè abirem in immenſum. Quanta enim hîc ſeges in Sacris, in Profanis, in Domeſticis, in Exteris, in Vetuſtioribus æquè ac Recentioribus? Præſtiterunt id perquàm accuratè *ſummi Viri* Euſebius, Hieronymus, Photius, Sixtus Senenſis, Bellarminus, Poſſevinus. Quin & in Alienigenûm caſtris cenſoriâ virgulâ, ſæpè etiam iniquâ; Balæus, Geſnerus, Magdeburgenſes, Rivetus, alijque plures. Quale igitur poſt tot, tantoſque meſſores ſpicilegium?

ILLVSTRIS. EPISCOPO

XXV. QVANQVAM & meum iſtud manipulum, æqui bonique conſules; ſi priùs revocavero in memoriam, quod probè tibi notum eſt, ILLVSTRISSIME ANTISTES; legendi, examinandi, colligendi demum cujuſque Autoris viam

esse omninò *quadruplicem*. Advertenda enim, meo saltem judicio; quæ doctrinam redolent, eruditionem exhibent, eloquentiam sapiunt, mores denique instruunt. Per eas ego lineas subindè decurro, quantùm fert cuiuslibet in specimen delecti à me Scriptoris, & Operis tum genius, tum stylus. Lætorque sanè plurimùm, quòd vetustissimi, famosissimique nominis tui decora, proprijs virtutibus: ceteras verò virtutes tuas doctrinâ, qualem nempe decet Episcopum irreprehensibilem; hanc demum à Concilijs, à Canone, à Iure, abs Disciplina severiorem, istis quoque velut lacinijs elegantissimis amas exornare. Perge porrò, quod facis feliciter; præeunte magno Episcopo animarum, implere tam grande ministerium tuum: & me ita enim DEUM, & te precor, PATRONE PEROPTIME, consueta humanitate fovere, benevolentia vegetare. Quin etiam, si tantillo homuncioni tantum munus postulare non est nefas, amore complecti. NON. OCTOB. AN. MDCXL. ANTISSIO

ILLVSTRIS. EPISCOPO.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

DIONYSIO COHONIO,

In minori Britannia Armorica

Dolensi Episcopo.

RHETOR. TRIPL. XXVI.

HVmanum-Genus à Belluis sermone distingui, nescit nemo. Supra verò vulgus præstantes Viros eloquentiâ potissimum eminere, ipse tu, PRAESVL ILLVSTRISSIME, testimonium es omni exceptione luculentius. Sed neque ex omni ligno effingitur Mercurius, nec ducitur Orator è quovis metallo. Haud tamen accedo relatori controversiarum Senecæ, scribenti peracutè: *suadam ipsam animos, in quos se conferat, eligere*. Malim ego Providentiæ discrimen confiteri. Ipse scilicet rerum omnium parens DEVS, qui nihil operatur, nisi dum eloquitur; se-

ligit ad libitum quos in suæ vocat, & dicere non est nefas, Paternitatis consortium. Genitura illius sermo est, διὰ λέγεται γὰρ ἄῤῥητος πατὴρ πρὸς υἱὸν ἐπεὶ, καὶ αὐτός ἐστιν ὁ λόγος. Nec aliã similiter Ecclesia habet prolẽ, nisi ex Concionatorum ore ad instar CHRISTI enixam. Tantæ molis est θεοῤῥήτορα, Oratorem nempè Christianum condere.

HAEC inter miracula suspiciunt te pridem & amant, qui vel semel audiverunt.

Mel qui ex ore, & nectaris imbrem
Effundis.

Nempe, vel invidia teste, *illustrasti seculum nostrum pulcherrimo genere dicendi*. Cuius quidem eximijs venustatibus enarrandis consultè abstineo; & quia nostram exuperant infantiam: & ne Platoni videar consentire, qui Rhetoricam partem facit adulationis. Sanè si divini Apollines *quatuor* summariè, in perfecto requirunt Chrysologo; vim dicendi, verborum delectum, materiam gravem, docendi methodum;

ILLVSTRIS. EPISCOPO.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

DIONYSIO COHONIO,

In minori Britannia Armorica

Dolensi Episcopo.

RHETOR. TRIPL. XXVI.

HVmanum-Genus à Belluis sermone distingui, nescit nemo. Supra verò vulgus præstantes Viros eloquentiâ potissimum eminere, ipse tu, PRAESVL ILLVSTRISSIME, testimonium es omni exceptione luculentius. Sed neque ex omni ligno effingitur Mercurius, nec ducitur Orator è quovis metallo. Haud tamen accedo relatori controversiarum Senecæ, scribenti peracutè: *suadam ipsam animos, in quos se conferat, eligere*. Malim ego Providentiæ discrimen confiteri. Ipse scilicet rerum omnium parens DEVS, qui nihil operatur, nisi dum eloquitur; se-

ligit ad libitum quos in suæ vocat, & dicere non est nefas, Paternitatis consortium. Genitura illius sermo est, διαλέγεται γὰρ ἄῤῥητος πατὴρ πρὸς υἱὸν ἐπεὶ, καὶ αὐτός ἐστιν ὁ λόγος. Nec aliã similiter Ecclesia habet prolẽ, nisi ex Concionatorum ore ad instar CHRISTI enixam. Tantæ molis est θεοῤῥήτορα, Oratorem nempè Christianum condere.

HAEC inter miracula suspiciunt te pridem & amant, qui vel semel audiverunt.

Mel qui ex ore, & nectaris imbrem
Effundis.

Nempe, vel invidia teste, *illustrasti seculum nostrum pulcherrimo genere dicendi.* Cuius quidem eximijs venustatibus enarrandis consultè abstineo; & quia nostram exuperant infantiam: & ne Platoni videar consentire, qui Rhetoricam partem facit adulationis. Sanè si divini Apollines *quatuor* summariè, in perfecto requirunt Chrysologo; vim dicendi, verborum delectum, materiam gravem, docendi methodum;

ſtatim intelligimus pares tibi in eo di-
ILLVSTRIS. EPISCOPO. cendi genere paucos, nullum ſuperiorem. Ingenium in te, MI CHRYSOSTOME, veneror conchæ ſimul & canali ſimillimũ; cui tota ſe eruditio infudit, vt exinde largiùs effundatur: os tuum, vena vitæ populis eſt: lingua, qualis Concionatorem CHRISTI imitatorem decet, ex Prophetico oraculo erudita; labia favos ipſos, & merã ambroſiã diſtillant. Verba fulmina dixerim, an flumina, *καὶ πνευματικῆς θαλάσσης κύματα*? Paucis abſolvam; non invidebit credo, noſter Paulus, divinũ elogium in Regio Oratore: ſi quis Apoſtolico cognomine, *σπερμολόγον Ἑρμῆν, ἡγούμενον τοῦ λόγου* appellaret. Nec propterea mirum ſi illa ipſa eloquentia, quæ amicitias dedit, quæ famam peperit, quæ Infulas meruit; te quoque, vt Divi illud vſurpem Hieronymi, *efferet in æternum nomen*. Interim te toto noſtra fruatur ætas.

Demoſthenem ex eo celebrant, quòd ſemper ante ſpeculum quaſi ante magiſtrum cauſſas meditaretur. In te vno & ſpeculum, & magiſtrum nacti

ſunt novi Oratores. Ad hanc ego lu-
cem, licet tantumnon emeritus: ad DOLENSI.
hanc ferulam Rhetorica noſtra, pri-
mæ quondam ætatis tyrocinia, compo-
no iam & dirigo. *Tripartitum Opus*, ex
propria mihi ſtudendi ratione. Vul-
garem præmiſi; quam ſcire non tanta
laus eſt, quàm neſcire infamia & de-
decus. Secretior ſuo incluſa Sanctua-
rio, in meos vſus reſervatur. Mediam
Templi Eloquentiæ navem, occupat
Ars Lullij. An ea in Rhetorica aliquid
lateat μυςικὸν καὶ ἀπόῤῥητον placuit olim
& alijs, & mihi vt altiùs inquirerẽ. Re-
peri vix multo plus quàm in Aegypti
Delubris, ideoque alia mihi Oracula
ſumpſi conſulenda. Haud tamen (vt
candor in me ſupra Carmelinam quo-
que chlamidem ſemper fuit) animus
eſt negare Raymundum illum, pulchra
quædam, rara, & inaudita commen-
tatum. Verùm vt ſerum erat illi ad pie-
tatem, & ſcientias ingenium: ſeculi
etiam ſui fato, quo craſſa vbiquè re-
gnabat barbaries; videtur benè mul-
tis, etiam oculatiſſimis, non tàm Mi-

nervæ peplum detraxisse; quam novis
ILLVSTRIS, subinde tenebrarum velis, genuinam
veritatis pulchritudinem inumbrasse.
Neque mihi de me tanta fiducia, ELOQVENTVM ANTISTES, ANTISTITVM ELOQVENTISSIME, vt putem labores meos veteri tabellæ aliquod lumen induxisse. Id igitur vnum in ista Opella pensum fuit, velut severioris Sapientiæ laxamento, atque vt exquisitis aliquot Viris facerem satis, vestigare quinam splendores, Lullianis ejusmodi plicis involvuntur.

QVAE porrò ab alijs longè principijs accersenda mihi pridem visa est Scientiarum vnitas latissima, eademque vnitissima latitudo; in has quoque Lullianas ambages, radiorum nonnihil credidi refudisse. Ea enim arte colores temperavi, vt licèt inde veritas, quæ æternùm viget, pulchrior fortassis minimè sit; hactenus tamen caligantibus oculis, splendidior apparere queat. Solem integrum mentientur nostra hæc Rhetorica, si oculorum tuorum, & suetæ humanitatis radios recipiunt. Au-

tor verò vltra ſpem & vota beatus, ſi in tuæ, quo dudum receptus eſt, benevolentiæ & amicitiæ ſinu fovetur. LVTET. PARIS. IPSIS KAL. FEBR. AN. MDCXXXVIII. PROSPERO FAGNANO.



ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

PROSPERO FAGNANO,

Illuminatiſsimo noſtri Seculi Dydimo.

INgratus ſim, FAGNANE PRAELATORVM INSIGNE DECVS, ſi non meminerim tuorum erga me beneficiorum. Adeòque hæſit inſculpta pectori meo zeli, candoris: probitatis; eruditionis tuæ recordatio; vt eam nulla ſit oblivio deletura. Lites equidem & diſſidia impulſu etiam naturali ſupra quàm dici poteſt exoſus, ea tamen ex parte deamo, quâ me Romæ commorantem, in tanti Viri notitiam & familiaritatem detulerunt. Palpum ELOG. SAEC. XXVII.

non obtrudo, Italiâ decedens remansi tecum. Nec divelli queo à te, qui mihi non priùs visus quàm æstimatus, quàm vltra modum dilectus. Ipsa cæcitas tua, MI FAGNANE, incrementum stuporis simul & amicitiæ.

ILLVSTRIS.

CAECORVM sanè illustrium centuriam non recenseo. Exteri in ceteris Homerum celebrant, nostri Didymum; ambos sine oculis, oculatissimos. Vt enim in vnoquoque nostrum geminus Homo, ita visus duplex; corporis, & animi. Priore orbatis, sæpè acutior acies altera. Celum non vident (quæ Senioris Tobię querela fuit) sed penetrant: totique intra se reclusi, DEVM intuentur sui pectoris magnum hospitem. Gaudent non patere mortis fenestras, suamque cæcitatem faciunt Innocentiæ partem. Carent oculis scelerum ducibus, dum sæpe-numero, (quod splendidè vester Petrarcha,) lucidissima pars corporis totam animã, in tenebras trahit. Ipsa cæcitate sua, erudiuntur ad divina; vt Tiresias ille, inter famosos clarissimus, captus ocu-

lis, ſed animo Lynceus. Taceo Diodorum Stoicum, Caium Druſum, Appium Claudiū, media in caligine omni Diſciplinarum genere inclytos; vt hæream in Democrito, quē ferunt oculos eruiſſe ſibi, quò Philoſophiæ commodiùs operam daret. Divam quoque noſtrum colit Μηνολόγιον, eodem crudelitatis genere, ſuos in oculos ſævientem; faces planè extinctura, quibus deperibat Iuvenis miræ illius pulchritudinis Amaſius. Adeò verè dictum à Macrobio eſt; *Cæcum nomen eſſe laudis, non probri: unde præclarum, & inſigne nomen Scipionum.*

PROSPERO FAGNAN

XXVIII. Geminata igitur in te, FAGNANE ORNATISSIME, commendatio. Nimirum quòd oculis captus, qui tibi (ſuo aiebat Didymo Primarius ille Eremi cultor Antonius,) cū muſcis, muribus & lacertis olim cōmunes; tui parte meliori vides, amas, colis, exerces genus omne doctrinæ, ac virtutis. Eas in te dotes quanti faciam, patefaciet is, quem ad te mitto affectus mei vadem, & obſidem. Cæcus eſt, VIRO-

ILLVSTRIS. RVM OPTIME, ſed idem illuminatiſſimus. E noſtra Turonenſi Provincia Laicus Frater, at totius in noſtra Reformatione minima Theoſophię Myſticæ, Vitæque Spiritalis datus à celo Myſtagogus. Enimuerò quiſnam ille ſit aves, opinor, & properas ſcire? Vita illius, & Scripta fuſiùs; ego hic paucis,

IOANNES A SANCTO SAMSONE illi nomen, ortus ex nobili familia Senonenſi inter Burgundos. Infantem adhuc in cunis, bimum inter & trimum invaſit cæcitas; à variolarum lue puerili, & iniquo medicamine. Parentum curâ, Muſicæ cuiuſvis numeros omnes attigit, litteras humaniores delibavit. Adoleſcens diviniori pellacia illectus, pietati ſe dedit totum. Patriâ excedens, Lutetiæ pauperiem induit eò arctiorem; quo electior, & ſine teſte. Certa celi deſtinatione, nec ſine miraculo, mitti ſe procurat in Minorem Britanniam; in Carmelo Dolenſi, ſacri veſte tyrocinij induendum. Ibi plures annos vitam vivit, cum CHRISTO in

DEO abſconditam. Nempe in ſpolio carnis, egeſtate ſumma, in conflictu contra Dæmones acerrimo, in jugi oratione, in rerum divinarum contemplatione perenni. Nec diu continuit ſe tantus CHRISTI ardor. Suis ſtatim in veneratione, Exteris in æſtimatione: ægros curat, febres ſanat, ſpiritales Nequitias abigit; cunctis & ſolatium, & fulcimentum. PROSPERO FAGNANO.

Subcreſcente aliquot retrò annis obſervantia Carmelitarum *Rhedonis* vrbe vicina, eò evocatur. Quid-ni à DEO, & in novæ Reformationis, felicitatem? Iam enim beatus noſter Cæcus rerum divinarum ſcientiâ, & experientiâ cōſummatiſſimus, alijs in doctrina ſpiritus erudiendis reliquum vitæ curſum abſolvit.

VIRVM DEI, ac Cæcum verè videntem Vita, Scripta, Miracula evulgant. Variæ illius quæ ad te, ILLVSTRISISME FAGNANE, mitto elogia, hâc gemmulâ obſignabo. *Docuit vt vixit, vixit vt docuit*. Fagnanum iſtucce exprimit, an Samſonium? Dum judi-

ILLVSTRIS. cant alij, vtrumque assero: & vni per alterum me, meaque do, dico, dedico. Vale, Cæcorum Illuminatissime, mihique quamdiù vixero Charissime. LVT. PARIS. NON. NOV. AN. MDCXLVI.

Ad Eundem.

NEGOTIA REFORM. XXIX.

QVos nectit charitas, quæ perfectionis vinculum est, nulla locorum, temporum-ve intercapedo dissociat. Eo ductus sensu vestræ erga me, licet indignum, benevolentiæ fœdus Romæ initum colui semper, colamque quamdiù vivam. Id vt calamo frequentiùs testificarer, impedivere partim bellici tumultus, partim Reformationis opus domesticâ, vt nostis, invidia vel afflictum, vel languens. Accedit quod paulùm à meo reditu jussus sum hîc demorari, rebusque in Regno turbatissimis tantillam operam meam navare. Iam publico melior spes, ex DEI gratia affulget. Iam ex meo, alio-

aliorumque zelo cogor ad res Reformationis, quæ non vno modo ſuccutiuntur, mentem & animum reflectere. Neſcio quo genio tres aut quatuor ad ſummum, plurima aggreſſi ſunt, plura effecerunt contra jus & æquum. Vnde tumultus paſſim oborti, non ſtatim, ni juvet DEVS, extinguendi. PROSPERO FAGNANO

ID à me nequaquam oriri, duo in ceteris teſtantur argumenta. Alterum quod malui aut ſilere ad tempus, aut diſſimulare, quàm fungens officio meo, dare anſam vllã vel querelis, vel turbis. Et verò à quinque annis, nihil, vt palam eſt, circa meas Commiſſiones inauditum. Alterum quod in Conſilio Regis Privato, necnon in ampliſſimo Senatu Parlamenti, plura quotidiè pro mea tenuitate, & ex Numinis clementia perago; quæ (vt minùs ſapiens dico) Eccleſiæ-Catholicæ-Romanæ, Sedi Apoſtolicæ, ſimulque Mendicantium Ordinibus, & Generalibus ſatis proficua exiſtimantur. Non vendito meas merces, Viro mihi per omnia colendiſſimo, ſimul & amiciſſimo. Sed rei XXX

ILLVSTRIS. veritatem tempore , & loco conteſtabuntur facta ipſa: & ex alienis Ordinibus, maximè ex Dominicanis,& Carmelitis Diſcalceatis primores. Interea hoc vnum rogo, & oro, vt judicium de noſtris rebus ſervet ſine præjudicio. Veſtram modò non appellabo amicitiam, ſed juſtitiam compellabo. Quanquam non ita volo Iudicem, vt Patronum agere deſinat Veſtra Illuſtriſſima ac Reverendiſsima Dominatio, cui me totum voveo ac devoveo. LVTET. PARIS. IDIB. OCTOB. AN. MDCLVI.

Ad Eundem.

NEGOT. CARMEL. ET GRATITVD.

I

OBſtinatum hactenus ſilentium amantiſſimè ſolvunt collata in me, licet indignum, prolixæ humanitatis tuæ beneficia. Silentio quidem obſtringebant me ſinceriſſimi affectus mei eximia adverſus veſtra merita ingens veneratio, Reformatio in noſtro Sacro Ordine paulatim flacceſcẽs; im-

peratæ, civiles præsertim inter tumultus à Rege Christianissimo occupationes; superque omnia genius meus ab omni tumultu & lite tam alienus quàm solitudini, studijs, & vitæ cum CHRISTO cruci confixæ jam olim addictissimus. Satis quoque negotiorum ingerunt quotidiè partim Conciones, partim vtroque idiomate quas jussus sum edere Lucubrationes. His verò vnicè intentum post decennij, vt ita dicam, novale; ad res claustri revocavit ejus, quam vovi obedientiæ imperium planè prorsus inopinatum. PROSPERO FAGNANO

COMMISSIONIS impositas mihi à Reverendissimo Generali, post trimestrem excusationem aggressus sum, DEO ita indulgente non infeliciter. Iam jam è Capitulo Provinciali Lutetiam reversus, oneratum me invenio nihil tale opinantem vestrâ benevolentiâ: & per ejus designationem, *Terræ Sanctæ*, inter meos Carmelitas Provincialatu.

ENIMVERO tametsi vita mihi fuerit ab omnibus ejusmodi oneribus, & ho- II

ILLVSTRIS. noribus domi, forisque summè recedens; istud tamen munus, vacuum animarum curâ, quæ summa mihi semper formido fuit; pluribus titulis gratissimum, non ausim diffiteri. Id verò imprimis volupe habeo, quod pignus cognosco Fagnani mei sapientissimi, integerrimi: & si dicere adhuc fas est, canâ jam amicitiâ notissimi. Si verò vestrum ea in re consilium fuit, PRAELATORVM OPTIME, postliminio redintegrare conatus pro Sacri DEIPARAE Ordinis Reformatione, & Reformationis vniformitate; quamvis tenuitatis meæ conscius, modica semper valetudine, & jam in senium satis vergens; tanto tamen præcentore, laborem non ausim recusare. Iubeat ergo Illustrissima ac Reverendissima Domitio Vestra, statim porrò habebit me ad omnia paratissimum. Sique optat ante omnia, rerum statum qualis re vera sit in nostris septem Galliarum Prvincijs Carmelitanis dignoscere, referam ea animi & pectoris sinceritate, quâ me illi totum offero: & in sacro

præſertim Altari cũ CHRISTO, & coram CHRISTO conſecro. LVTET. PARIS. POSTRID. KAL. IVL. AN. MDCLVIII. PROSPERO FAGNANO.

Ad Eundem.

NEGOT. CARMEL. III

SI fas mihi eſſet deinceps, vt fuerat à decem retro annis, abſtinere à rebus partim Provinciæ, & Reformationis cui ex benigna Summi DEI vocatione inſertus ſum; non onerarem modò veſtram patientiam, neque paterer veſtrum à me zelum interpellari. Sed vrgent vehemẽtiùs negotia, quàm vt poſſim vel ſilere, vel diſſimulare. Eo ſiquidem in ſtatu exiſtunt neſcio quorum malignitate, fortè ab ambitu præpoſtero, fortè ab invidia inter Fratres non inſueta: fortè etiam, quod magis allubet, à Dæmonis tentatione adverſùs florentiſſimam Reformationem; vt de ſumma rerum agatur, ni ſeriò cogitetis pro veſtra ſumma prudentia,

ſummoque zelo, de remedio tam maturo, quàm efficaci.

ILLVSTRIS. IV Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus *Nuncius* hîc Apoſtolicus, cui cum ſermo nobis non infrequens, fatetur, quia intuetur, ea vergere etiam plurimùm in Eccleſiæ, & Sanctiſſimæ Sedis præiudicium. Imprimis, quia nihil habent infelicius iſti tumultus, quàm violationem ſecreti contra publicam fidem, ſtatuerunt noſtri Superiores Romam delegare R. P. Albertum, qui rerum veritatem veſtræ notitiæ, veſtroque judicio per teſtimonia omni exceptione majora exponet. Quanto is ſit ingenio, perſpicax mens veſtra ſtatim aſſequetur. Hoc ego vnum addo me, poſtquam debitè fueritis Romę informati, veſtros ſolùm nutus expectare; quibus eo ſemper affectu adhæſurũ me ſpondeo, quo veſter vivam, moriarque. LVTET. PARIS. PRID. IDIB. NOVEMB. AN. MDCLVIII.

MARALDO

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

D. M. A. MARALDO.

VT ausim manum calamo admovere, jubet zelus gloriæ DEI, Ecclesiæ Catholicæ, Religionis Monasticæ, Carmelitanæ demùm Reformationis. Bis Romam profectus, feci non ocultè, non furtivè: sed apertè & palam, quidquid in me fuit, pro ejusmodi rebus adjutandis. Iam ferè à biennio reversum in Galliam, detinent speciali Regis jussu, ac Superiorum permissu, publica negotia; quibus ex Numinis nutu jam post graves tumultus, benignior aura videtur aspirare. Nam & Regina semper constantissima, & noster Mazarinus vtiquè prudentissimus, & in fidis generositas quam maxima. Non destiti interea plura pro tenuitate exequi in Ecclesiæ, ac Reli-

CONSTIT. VIOLATAE V

gionis vtilitatem. Sed præstabit vt ista ILLVSTRIS. Illustrissimę, ac Reverendissimæ Dominationi Vestræ alij suo tempore comprobent; quàm vt ego de me perhibeam testimonium, quod vanitatis posset redargui. Vnum est quod referri vrget tum conscientia, tum prudentia.

VI BREVE Apostolicum bis Romæ recepi, pro officio Visitatoris in Gallia Generalis, super Carmelitana Reformatione. Qua moderatione id obtinuerim, cùm plus liceret ex benignitate S. D. N. scit imprimis Vestra Illustrissima, ac Reverendissima Dominatio. Quâ modestiâ vsus sum, docet quinque jam annorum experientia. Nihilominus alieno errore, ne quid pejus dixerim, cogimur nec pauci, nec contemnendi; de violata multis in capitibus Reformatione palam conqueri, & remedia vbi par est deprecari. *Constitutiones* non solùm passim, vt demonstrabitur, infractæ. Sed novo, & inaudito ausu, me alijsq; tum Superioribus, tum Inferioribus aut jnscijs, aut

invitis, correctæ: & clandestinis ac furtivis typis iterum mandatæ, mutato etiam & tantumnon suppresso Innocentij X. tum nomine, tum diplomate. MARALDO

Ni eatur obviam, erit id seminarium tumultus vix vnquam extinguendi. Esto rei substantia foret non mala, modus agendi indubiè pessimus est. Verùm & rem ipsam aggredimur zelo, vt decet, ardentissimo. De ceteris nondum mihi sermo est in præsentia. Hæreo in memet. Duplici titulo cùm sim Commissarius Capituli Generalis, Vestræ Congregationis, Sanctissimi demùm D. N. Innocentij X. super ejusmudi negotio Constitutionum, & in Gallia Reformationis; an justum & æquum fuit id attentari, me non vocato, non consulto: non aut condemnato, aut consentiente?

Deinde in eo maximè hallucinatum, quod qui talia ausi fuere: nescierunt quid vestra illustris & integerrima quatuor-virum *Congregatio*, potestatis mihi ea in re concesserit, quid & ex-

pressè ipsemet Sanctissimus; speciatim circa stylum, vsus Monasticos, aliaque levioris momenti. Quod ipsum os vestrum venerabile sæpè ac sæpiùs mihi inculcare dignatum est. Nam de cetero, si qui errores, aut mutationes circa jurisdictionem, circaq; graviora vt aiebat dum hæc Romæ tractaremus Vestra Illustrissima ac Reverendissima Dominatio, in primam impressionem, alijs à me occupatissimo concreditam irrepserunt; vtiq; mutuo consensu tum ex justitia, tum ex charitate & prudentia erant corrigendi. Nec id vnquam detrectavi, qui semper & hîc, & Romæ, tres in ejusmodi Constitutionibus omissiones agnovi publicavi, & remedium à Superioribus non semel expostulavi.

IAM igitur, vt famâ virtutis ac justitiæ, & morum integritate conspicua est Vestra Illustrissima ac Reverendissima Dominatio, vnum id precor; vt pro suo zelo, proque sua erga omnes justitia, dignetur judicium sustinere sine vllo præjudicio, donec de re.

ILLVSTRIS

rum quas solùm delibo, veritate plenissimè sit informata. Interim D.O.M. sincero affectu deprecabor, vt te rebus Ecclesiæ gerendis diu & diu servet incolumem. LVTET. PARIS. IDIB. OCT. AN. MDCXLIX. TINTIO

CL. V. ET ERVDITO

ABBATI TINTIO,

ANN·NOV VI

NOVO ineunte anno & de prætetitis in nos beneficijs, quamdiu viximus in Vrbe illa septicolli gratias agere: & in futurum tanti Viri, & á me vsqueadeò æstimati, excolere amicitiam, quam ita benignè obtulit, generosè promisit, officij mei partes esse existimavi. Romæ scilicet tot inter rara vix reperi quicquam aut vestro omnium capaci ingenio præstantius, aut vestris meritis excellentius. Possem vtinam facto demonstrare, quantum animus in me sit ab omni ingratitudinis labe alienissimus. Amicis certè, Virisque primoribus sincerè retuli quid deberem vestræ humani-

ILLESTRIS. tati dicam an integritati? Pacatiori aliquando tempore id meliori charactere vt intelligas, VIR CLARISSIME, si quid in mea tenuitate situm, procurabo.

INTEREA quod nomine *Excellentissimi Principis* tui partes debes inire in nostra Aula, gratissimum fuit intelligere. Etenim præterquam quod dignum te fuerit videre Galliam Orbis miraculum, Lutetiam Galliæ compendium: Regem Adeodatum, Reginam Matrem Augustissimam, Mazarinum Regni Athlantem; alia quoque visenda suggeremus, quorum fortassis & meminisse juvabit. LVTET. PARIS. IN CAPITE AN. MDCLIX.

VIII

ILL.MO AC REV.MO

D. MARIO ALBERICIO.

CONSECR. EPISCOPORVM ORIENTAL.

IX

AB optimo Avunculo, Farnesio Cardinali Patrono dudum etiam publico, ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME, hæreditariam tibi erga me benevolentiam dum experior Ro-

mam tertiò adveniens; ingratus revera sim, si minùs agnosco qua debeo animi gratitudine. Currenti ad id satis proprio marte, calcar indidere nec pauca, nec parva. Sacer *Fidei Propagandæ* Cætus, cuius tibi Secreta & Sacra commissa, pridem Studiorum meorum magnes est. Interque plurima quæ à quadraginta fermè annis vitam detinent occupatissimam, ad eum semper scopum collimavi; quo nullus mihi certè visus in procuranda salute animarũ aut securior, aut felicior. Illi me arti, quam nonnescis, OPTIME ALBERICI, artem esse artium, à teneris propemodum assuevisse, sciunt Nostrates. Sæpiusque passim insinuatum à me est tãtillis Lucubrationibus meis vix aliud vallum & fossam, vix aliam proram & pupim à me iam olim constitutam. Prima vota inflammarunt quę vidi nuper, Alpes dum transeo in *Grationopolitana* Delphinatum Propagatione præstantissima. ALBERIC.

EA, aliaque id genus complura dum tibi, & per te sacræ Congregationi, Alexandroq; VII. integerrimo Pontifi- X

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

CAROLO EMMANVELI VIZZANIO.

Ecclesiæ Prælato titulatissimo.

EPIST. PACIF. XXVI

ROMAM tertiò me adventasse, ILLVSTRISSIME VIZZANI, munus agnosco revera celestis Providentiæ. Adeò dum æstivi dies partim pietati tot inter sanctitatis monimenta, partim non illaudatæ curiositati impenduntur; nihil vtiquè aut jucundius obtigit, aut vtilius suavissima consuetudine tua. Eam mihi conciliavere pertractata nuper in *Capitulo Generali* Ordinis mei, negotia: eaque sub Sanctissimi ALEXANDRI VII. auspicijs, Eminentissimi Protectoris Ginetti tutela, vestraque subdelegatione peracta, feliciter. Cumulavit beneficium virtus tua, & prolixa adversum me bene-

vires, succedunt fastidia, donec alius
ILLVSTRIB. litigandi campus aperiatur.

Ea forte credas velim, MI VIZZA-
XXVIII NI, nuperam *Controversiam*, cujus rumor huc & cis Alpes perlatus est. Quænam fuerit ea prima lues & contagio, sciscitanti tibi haud promptum fuit respondere. Morbus quippe implicatissimus, quem nec ægri satis confitentur. Vbi medicinam paraveris, clamant ea parte integra se frui valetudine. Sic ignota ægritudo, sanari vix potest; fortè tamen evadet nulla, si tantisper adhuc compressa. Hactenus à me expectatum quænam vomica, quod vlcus ex ea sanie protuberet. Indicia sanè vidi & plurima & pessima: sed statim conquisitæ studio latebræ, χείρων omnem eluserunt. Quare dabit veniam humanitas tua, si ego ab omni factione alienissimus, nec vsquam in alia quàm CHRISTI & Ecclesiæ verba jurans; intima nugacis istius discordiæ, propalare nondum satis aggredior. Nobis profectò mentis bonæ candidatis erit abundè, missis omnibus id ge-

nus litigijs DEVM colere non contentionis, sed pacis & vnitatis. VIZZAN.

Interim ne nihil sciat VESTRA ILLVSTRISSIMA DOMINATIO de re satis famosa subnecto, ἐπιστολὴν εἰρηνικὴν primo disputationum calore olim Gallicè evulgatam. Auctor licet de vultu mihi planè ignotus, creditur non vnus è multis. Nostrûm profecto est, OPTIME VIZZANI, qui pietatis simul & eruditionis dudum adyta penetrasti; ea super lite decretoriam sententiam Pontificis nostri Sanctissimi, velut abs Ecclesiæ cortyna & veritatis tripode amplecti ac revereri. Meum verò hoc Levidensi munusculo, serium erga te animi mei affectum & publico, & posteritati testificatum voluisse. IN VRBE IDIB. IVL. AN. MDCLX.

XIXV

Indolem præclarissimam, merita per
ILLVSTRIS. omnes titulos præstantissima. Pergratum deinde fuit Romam appulso audire de tua fama, quæcumque in Gallia possunt optare Amici: & quæ ipse in Regia Fonbellaquensi, dum nobis valediceres, fueram auguratus. Ea præter haberi te etiã vulgo, MI BOVRLEMONTI, generosissimum, integerrimum, eruditissimum, nihil mihi contingere poterat optabilius. Sed, quod summè placuit, accepi ab ore etiam purpureo, te non magis Iuris vtriusque peritissimum, quàm visus es in latina illa qua receptus es oratione aditiali, politissimus. Quamobrem ne abs officio discederem, in vtriusque Idiomatis comparatione ad tuum Tribunal provoco. Dumque Sedes Iudex in Rota, sententiam expecto. IN VRBE POSTRID. KAL. AVG. AN. MDCLX.

ERVDITORVM AMICISSIMO,

Amicorum Eruditissimo

MATTHÆO MANGOTIO,

Abbati San-Columbao.

NOstri in solitudine otij negotia vt scribam ad te, PRAESVL LITTERIS NATE, rationes effecerunt & numero plurimæ, & pondere suo maximæ. Nam vt deessent tituli gentilitio erga nos patrocinio insignes, & vel miraculoso CHRISTI cruore in annos porrò seculares duraturi; ipsa quæ cum Homine nata est gratitudo, hoc debitum seruitutis meæ sic animo suadet, vt calamo imperet. Et ita imperat, vt procliuiùs sit à memet discedere, quàm abire vnquam ab innocenti officio. Hæret nimirùm, & intimis præcordijs hærebit æternûm ma-

ENCOM. PARAENETIC. III

ILLVSTRIS. gicus ille nodus quo (tertius jam annus recurrit) oblata per amicissimum virum Petrum Milonium, primi congressus occasione; me illicò nativa libertate spoliatum, incomparabilis Genij tui reverentiæ dicam an amori, non aliter quàm ex ære & libra mancipasti.

IV STVPVI, fateor, juris mei, si quisquam Mortalium, tenacissimus. Verùm, quod miraculi faciam habeat, qui alienos fasces omninò detrecto DEO liber; imposita tuæ benevolentiæ vincula statim vt cognovi, supra fidem amavi. Immo arcanus animi sensus osculatus est vt suavissima, priusquàm mẽtis oculus agnosceret vt gratissima. Bone Deus! Quæ secuta deinceps servitutis meæ simul & felicitatis incrementa! Certavere non semel in me vno, hinc vastissimi in angusto corpore ingenij tui admiratio: indè nexus inter nos inviolabilis, & amicitiæ fibulatio Solemni juramento contesserata.

Dudum certè audieram vel Astro-

rum ignoto fluxu, vel fatali genitura non res modò corporeas nasci in mutuam Societatem: sed ipsa quoque animorum lumina, tam Sacra quàm secreta virtute simul commisceri. Id quod expertus jam profiteor; cùm me prorsus immerentem humanitatis tuæ sinu complexus es, & mens mea in tuorum contemplatione meritorum stupet attonita. Lusit, opinor, in tui fabrica optima rerum parens. Et vt cetera fœcunditatis suæ miracula ludificaret, provocavit in te vno omnium & Sæculorum, & Hominum invidiam. Non adulationis, sed veritatis vox est; te felici anticipatione in pueritia virum, in adolescentia sapientem: in iuvẽtutis flore vberrimorum fructuum maturitatem non tam promisisse, quàm emisisse. Parum est ea scire, quæ ignorare vltimum esset dedecus; nisi vtrivsque divitias, opulentiori vsura nobis repræsentares. Nec tanti facerem te è Sciolorum cœno emersisse, nisi cum Beatissimo Mystagogo in tertium celum excessisses, meliorem re- MANGOT.

ILLVSTRIS. rum notitiam indeptus, ipsamque adeò Angelorum Linguam perbeatè assecutus; quasi jam mortale cum terrenis colloquium, dedignaretur generosa ambitio.

Immo dicam audacter, injuriam tibi facis, quoties ex amplissimo eruditionis throno exscendis ad vulgaris, & quotidianæ scientiæ commercia. DEO potiri, rerum notitiâ in sinu gaudere; verbo absolvam, frui te ipso, tùæ demum felicitatis cumulus est. Precariam non habes, cujus secundùm DEVM scaturiginem agnoscis indolem tuam. Ita quod plerique nec norunt quidem, quod pauci ambiunt, pauciores vestigant; invenisti dicam an reperisti, navitate tua comparasti an velut effundentis se naturæ dotem obtines?

ILLVDIT sæpe-sæpiùs Abecedariorum animis, scientiarum larva: & qui sperant castissimis virginibus copulari, vana & infelici vmbra sæpissimè deluduntur. Te Scientiarum Autor DEVS meliori luto effinxit, enthea quadam

, Divinitatis suæ radio insignivit; vt MANGOT.
tima penetrares, implexa dissolveres, ɔscura illustrares; nec alio quàm ipso ɛritatis succo, ceu pabulo, vivacem nimum sustentares. Crediderim pro-ɛcto opem ipsam remotis quasi tot re-ɹm involucris nudam, nativamque ulchritudinem vegetis oculis inspi-asse; non tam vt tuos ad se se affectus llicerct, quàm vt ipsa tuis amoribus ruereretur. Et jam inter Mortales quisquam demirabitur, me naturali voto non fucatæ, non ementitæ: sed veræ ac sinceræ Sapientię Semneis consecratum, tuis ceris nomen dare; vt celestium instar irrequieto conatu, teque Pontifice præeunte, castissimis pariter & amantissimis Sacris operemur.

VI Facescunt, crede Mi Charvm Capvt, facescunt ea vniversa, quibus peccantium multitudine & errore inolito pretium accidit; vanitates illæ vanitatum, & inanes stricturæ, quæ non benè firmatas acies evanido splendore perstringunt. Nec inter affectatæ pridem solitudinis silentia potior co-

gitatio, si primariam excipias, animum
ILLVSTRIS, incessit meum, quàm defecata illa &
ex cęli dapibus libata voluptas; quæ
me totum perbeat, cùm caducam video
Eruditionem in sensum revolvi
tuum: & mecum jure postliminij te velut
tutelarem genium implorare, tibi
adhærere.

QVANTVM itaque te suspicio supra
VII ceterorum apices, tantum extra ingenitę
tenuitatis sortem effero me ipsum;
vt quoquo modo per *Scientiarum orbem*,
veritatis radios ad vnicum centrum
deducam. Arduum opus, admonuisti
non semel, & aleæ periculo plenissimum.
At docuit me ex Heroum familiæ
non nemo, *in magnis voluisse sat est.*
Estque viri Consularis effatum sanè
præclarissimum;

Incipe, dimidium facti est cæpisse; supersit
Dimidium, rursum hoc incipe, & efficies.

Porro enim inchoatam dudum Operam,
& iam frequenter vel invidiosa
occupatione, vel supina soccordia interruptam
vt resumam vrges, vt promoveam
iubes, vt perficiam imperas.

En iussis obtempero, AMICORVM AMICISSIME. Et quando meliori te olim operi infulandum voveo, & auguror; amicitiam capio pro cortina, infulas pro capillis, imperium pro oraculo. Hancque propterea styli, Divi ad instar Hieronymi, subinde repuerascentis spontaneam exercitationem, insinuati supra Ausonij ad suum Augustum nuncupatorio, & aditiali epigrammate, verbis paulûm immutatis, velut devotissimæ mentis tesserâ obsignabo. MANGOT.

Nil dubito iam autore bono, mortalia quærunt
Consilium, Abbatis iussa capesso mei
Inspiras opus, Mangoti, & nostro reposcis
Pene rogans, blando vis latet imperio.
Vincit opus vires, sed vires, sufficis ipse:
Cur me posse negem, posse quod ipse putas?
Sic iube, sicque iuva, mea sic tibi musa laboret;
Obsequij laudem, sufficit esse mei.

IN EREMO FONBELLAQ. IDIB. MAII AN. MDXXXIV.

ILLVSTRIS.

CLARISS. CHARISSIMOQVE

IO. BAPTISTÆ DE CONTES,

Insignis Ecclesiæ Parisiensis

Decano Perillustri.

SVBROG. CARMEL. IN CONV. BILLET. PARIS VIII

PLura debemus tibi, DECANE PERILLVSTRIS, quam exolvere possimus. Peregrinos enim in Patriæ meditullio Luteriæ primus è Clero, tuæ sinu benevolentiæ complecti dignatus es. Mox vbi per amicitias integerrimi Lanierij (cuius Viri decessum adhuc lugemus, vt Parentis Optimi) tibi defunctoque felicis memoriæ Avunculo innotuimus; procurandi nobis in hac Galliarum Metropoli, Conventus nova vtiquè παλιγγενεσίᾳ, & autor fuisti, & promotor. Quantum eo in opere à te desudatum, qui labores tui, quæ vigiliæ & indefessa sollicitudo; solus novit, qui vices tantæ pie-

tati

ati rependet DEVS : ex Hominibus,
ciunt extrà me paucissimi . Quamo- DE CONTES
rem pretium operæ facturus mihi vi-
deor, si rei totius gestæ narratiuncu-
am exteris simul, & posteris, tuo cum
clarissimo, charissimoque Nomine
consecro. Vti nimirùm quantùm de-
beant Numinis Providentiæ, quantùm
& tuo erga nos amori, intelligant Car-
melitæ vniversi : æternùmque memi-
nerint

Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Gratum opus non diffido, quia & sus-
ceptum ne simus ingrati, & potissimè
tuum est ; istoque scilicet titulo, præ-
claro nomine haud prorsus indignum. X

CHARAE insuper mihi dotes tuæ,
hunc mihi cultum imperarunt. Dotes,
inquam, tam magnæ, quàm multæ.
In illis ad gustum palati, & mentis ad-
mirationem ; integritas, eruditio, pru-
dentia. Ea in te decora suspiciunt alij,
ego deosculor ; fortè quia penitiùs no-
vi, & pluries sum expertus. Seculi fu-
cum, & fumum non amant incorru-
pti mores tui, qui te ad celum eve-

hunt. Rerum divinarum, humanarumque Prudentia in te elucet tanta; vt priſtinis ſeculis facere poſſis injuriam, futuris invidiam. Philologia, Philoſophia, Theologiæ partes omnes, Iuris vtriuſque peritia: rerumque omnium conſultè, & prudenter agendarum ſolertia; ita tibi propriæ, vt fermè magis à natura videantur, quàm ab arte. Quid in illa flexanimi Eloquentia valeas, ipſe ſtupentem & ſuſpenſam vidi non ſemel totam Academiam; dum plures annos, digniſſimum in ea Cancellarium peregiſti. Quoties tunc hæſitavi, quidnam prius in te demirarer; πολυμαθίαν, αὐχομψότητα;

ILLVSTRIS.

Certè ſi ex veteri Emblemate, Mercurio gratiæ aſſident; quid-ni, VIR EXIMIE, adjuncta rara eloquentiæ tuæ comitas & manſuetudo eximia, huic calami mei officio, animique teſtificationi gratiam & benevolentiam prolixè impertiatur? Eam oro; & tibi εὐδαιμονίαν, καὶ εὐτυχίαν, pervelim exoratam. LVTET. PARIS. AN. MDCXXXII.

CASALI.

ERVDITISSIMO VIRO

N. CASALI.

CVm anni recursu, reddere vt liceat scinceri erga te affectus mei: & jam devotæ à biennio, servitutis testificationem etiam atque etiam rogo. Eo in statu sunt res tum publicæ, tum monasticæ; vt de illis quicquam rescribere aut inutile sit, aut intutum. Ego certè quidem vrgeo pro tenuitate virium, quem vovi zelum, DEO, Ecclesiæ, Religioni. Nec caret omni fructu Commissio ea, quâ me dignata est sua Sanctitas. Saltem quod sanctè & pluries sum pollicitus, nihil inde turbarum suborietur. Servabiturque titulus non tam honoris tessera, quàm dignationis erga me Sanctissimi Innocentij X. monimētum. Si minùs in ea re mihi laboris est, plus etiam accedit otij ad alia magis deco- ANNVS NOVVS. XI

ra & proficua, quotidiè per Dei voluntatem occupatiſſimo. Dolendum equidem plura in medio curſu felici, abrupta. Sed quod noſtrum erat ſemper, quoad licuit, ſincerè & impigrè ſumus executi. Et pergimus porro apud eos, à quibus ſubinde poſtulamur.

ILLVSTRIS.

XI Enimvero aſſidua hinc pietatis, inde ſtudiorum exercitia medias etiam inter tempeſtates portum bonæ menti ſemper aperit tranquiliſſimum. In illis certè nihil vel jucundiùs, vel vtiliùs; quam ſæpiſſimè verſari tecum, teque frui. Vt enim abſentes quoque convivere poſſimus, efficiunt præclaræ illæ, quibus me donaſti, *Lucubrationes* tuæ. Quàm verò lucernam & oleum redolent, quamque ſapiunt eruditionem; dum Sacra illa ſeu Chriſtiana, ſeu Ægyptiaca ex denſiſſimis tenebris in apertam lucem tot vigilijs, tantiſque laboribus ſtudes evocare. Vt ſic pergas rem literariam ditare, mecum rogant omnes Literati. Quanti verò faciam iſthæc monumenta Sacræ &

Profanæ antiquitatis, nemo non judicabit, cùm ex illis aliqua noſtræ *Scientiarum Ideæ* inſerta perſpiciet. Interim vale, & ſcriptis æternùm victuris mortalitatem redime: LVTET. PARIS. KAL. IAN. MDCL. SAVSSAYO.

CLARISSIMO VIRO

ANDREÆ SAVSSAYO,

ECCLESIAE SS. LVPI

& Aegidij Paſtori digniſſimo.

IVbebit opinor humanitas tua, PASTOR ERVDITISSIME, bono vt animo excipias hanc meæ ſolitudinis Epiſtolam; quàm calamo dictavit, & clariſſimi Nominis tui reverentia, & verò tuorum erga me beneficiorum nuſquã intermoritura recordatio. Vt enim abeſſent cetera, hoc vno certè titulo mecum perbeatè actum exiſtimo: quod DE SVO GAL. MARTYROL. XIII

dùm per ferias Quadragesimales com-
ILLVSTRIS. missum tibi Gregem Christianis pabulis enutrire adlaboro, in tuæ vel eruditionis non quotidianæ: vel raræ, & hoc seculo propemodum invisæ virtutis cùm cognitionem, tùm admirationem devenire singulari Numinis providentiâ concessum est.

XIV SED ENIM cùm multa sint quæ te in vtriusque non tam affectatæ, quàm genuinæ laudis mixtura benè multis superiorem, parem verò paucissimis efficiunt: vnum tamen est, quo me mihimet ereptum, tuisque tabulis æterno nexu mancipatum profiteor. *Martyrologium* illud intelligo. Opus sanè non magis Galliæ nostræ gloriosum, quàm vniversæ per Orbem Orthodoxæ Ecclesiæ necessarium. Nec peccarim profectò in tuam verecundiam, neque in pudorem meum; si asseverem indubitata veritate, te monumentum exegisse ære perennius. Et quasi provocatâ omnium seculorum famâ, tot Sanctorum linguas honori tuo vindicasse; quot eorum decora è cinere, ac tene-

bris calamus vindicavit. Fecisti nimi- SAVSSAYO
rùm gloriæ incrementum, felicitati appendices, Gallicanæ Ecclesiæ Dypticis supplementum: Gentilitij denique patrocinij cumulum, suis omnibus numeris absolutissimum. Quot enim, amabo, per te è celo in terram evocati, & in terra invocandi? Quot è cineribus, & obliteratæ memoriæ tumulis, in Hominum notitiam tuis laboribus ac vigilijs excitati? Quot Beatis mentibus quæ DEO fruuntur in perenni ævo, novam inter Mortales vitam inspirasti? Vivunt per te, quem per eos victurum & voveo, & auguror. Qui enim apices tot Heroüm inter Christianos nomina consecrant, tuum quoque nomen in eorum albo immortali cera depingunt. Coruscant illi calami tui characteribus, Seculorum seriem æmulaturis. Te verò Martyrum quos vindicas sacro cruore radiantem in ipsa æternitate videre mihi videor.

Perge igitur, VIR OPTIME, & Spar- XV
tam, quam à celo & à DEO nactus es; omni ope, quod facis, atque opera,

ornare, immò perficere festina. Hoc
ILLVSTRIS, à te Ecclesia, hoc à te Gallia expectat.
Illa jubet, vt Regina: hæc, vt Mater imperat. Verùm enim quando hanc Francici Imperij coronam, nostrę Carmelitanæ Familiæ vnionibus etiam micare è re tua est non parum, è nostrâ plurimùm; Collectanea hæc vt otioso tempore, sic opere tumultuario inter solitudinis nostrę vacationes ad te missa, ęqui bonique consule. Et hanc obsequij erga te mei paginam, Viri doctrina & munere consularis, aureâ sanè sẽtentiâ obsignari permitte. *Vnum hoc à nobis indubitata fide cognosce, Neminem esse Mortalium quem præ te diligam; sic vadatum me honorabili amore tenuisti*. IN EREMO FONBELL. NON. MAI. AN. MDCXXXV.

GENEROSSIMO EQVITI,

Abbati Illustrissimo

CASSIANO PVTEANO

Eruditorum Mæcenati.

MATHEMAT. XVI

ITa est, CLARISSIME ET AMANTISSIME PVTEANE, à vobis redij in Galliam; itinere, vt fit, terrâ parum grato, mari periculosissimo. Ex sæva tempestate vix salvus, votum solvi in littore; ad votivam scilicet, Divæ Magdalenæ speluncam. Locus, MI PVTEANE, nativo horrore, priscaque veneratione sacer. Atque, vt solitudo mihi cordi est; emiserat me Gallia per majorem Carthusiam, recepit per Antra hæc sanctissima. Vtrobiquè facies ipsa naturæ, & genius loci mentem colligit à turba & tumultu. Instillatque sensus nescio quos, sed re-

ILLVSTRIS

vera intimæ, & arcanæ pietatis; qui divinos illos Μυσαιθιώπους, celestium aptant conversationi ac contubernio. Inde avulsi Lutetiæ reddimur, magno Orbis breviario. Quod qui lustraverit, introspexerit: compendiaria peregrinatione vsurpare possit Homericum illud de suo Vlysse,

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, νόον ἔγνω.

Hîc quoque beari me sustines gratissimis Epistolis tuis, totius etiam præclarissimæ per Fratrem familiæ salute indicta. Tibi verò, illisque gratias habeo, quas debere me fateor infinitas: refero porrò, quæ in mea sunt manu. Genus omne Disciplinarum, sicut & virtutum tibi esse in corde, in oculis, in amoribus, in delicijs dudum intellexeram; Romæ vidi, & expertus sum. Inde strictior nexus, mutuæ inter nos: & si nondum canæ, veteris saltem amicitiæ. Ea propter ne tuum erga me affectum, sanè munificentissimum, sine hostimento resalutem; mitto nostram qualemcumque, μάθησιν; quæ quasi jure primogeniti, sola Scientiæ

nomen hactenus sibi vendicavit. PVTEANO.

Nolim tamen persuadeas tibi, VIR ERVDITISSIME, multùm me fuisse hac in messe aliena. Scio id studij Seculis omnibus invisum, probrosum nomen: genusque Mathematicorum Romæ & vetitum semper, & retentum. Scio Sacris initiatis mala prohiberi Mathematica, ceu pravas Disciplinas. Nec potentiùs fulminasse Patrum Eloquentiã, quàm cum explodit vanissimam fallaciam, πολυάσχολον ματαιότητα: artesq; plenissimas *Pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ servitutis*. Ridet ipse propemodum ἀγέλαστος Tertullianus, nedum Ancillula; Thaletes illos, *qui dum totum celum examinant, & ambulant oculis, labuntur in puteum*. Rationem quoque subjungit mirandus ille, vestras Comes Mirandulanus; vbi Mathematica velut puerile studium increpat, quòd Sapientes non facit. Adeo vt ei soli qui totum se tradit, occasiones errorum in Philosophia maximas pariat. XVII

XVIII Sed dicamus ingenuè, quod res est.

ILLVSTRIS.

ſcommata hæc & ſannæ, jaciuntur in abuſus & corruptelas rei non vſquequaquè malæ. Carpitque piperata hæc acrimonia nominatim, inſolētes Genethliacos; qui ex facie celi ſæpiùs emētita, & ἐπικινδύνῳ περιδύσει ad infamē γοητικὴν κακοτεχνίαν nimis credulos infeliciter illidūt. Eſt verò in Mathematicis, quod vel Sanctiſſimis proſit. Quænam illa? Pravis amputatis Creatorem laudare, quod pulchrè fecit Cæſarius Frater Nazianzeni. A plagis & formidinibus Sophiſtarum ſibi cavere, alios liberare. Quem fructum idem Gregorius celebrat, in ſuo Baſilio; cui fuit ſatis, infit Encomiaſtes; *Mathematica didiciſſe, non exercuiſſe*. Eccleſiaſticam Diſciplinam præclarè, conſtanterque ex rato & ſacro ordine obſervare. Quę cauſa Patres impulit in Nicæna Synodo, vt curam, provinciamque committerent Metropolitano Alexandriæ, (vbi ejuſmodi Scientiarum vetus peritia) Paſchales circulos annuatim conficiendi. Vetitumque deinceps ne vllus *computi* ignarus, per χειροτονίαν ad-

mitteretur Sacerdotio.

SVPEREST & propria mihi ratio, quæ sollicitavit olim vt inquirerem quid in latissimis μαθημάτων campis colligi à me deberet, vel ad aliarum Scientiarum, divinæ etiam Scripturæ interpretationem commoda: vel maximè ad Generalis Sapientiæ, & quæsitæ per omnia veritatis vnius seu præsidium, seu ornamentum profutura. Electa ejusmodi habere à te precor, PVTEANE PRAESTANTISSIME, non aliter quàm publicā & indubitatā perennis affectus erga te mei demonstrationem. Vale; & DEO, tibi, amicis felix vive. LVTET. PARIS. PRID. KALEND. IAN. AN. MDCXLVI.

PVTEANO.

ILLVSTRIS.

ILLVSTRISSIMO VIRO,

DOCTISSIMOQVE

PETRO CHAPELLATIO,

Theologo Parisiensi.

LIBROR. APPROBAT XIX.

IMvs iterùm in Italiam, Vir Doctissime, denuò subimus Vaticanum. Siscitabere fortassis quænam ibi aut pietati, ant eruditioni pellacia? Rara si quidem, dempta novitate, vilescunt: satisque alienum à peregrinatione, δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά. Fateor. At providentiæ Numinis, simul & Præpositorum voluntati parendum, & ipse tu assentiris. Nempe quò Devs vocat eundum. Feram interim in pectore imaginem tui; adeò mihi visus es ante annos plures, inter eruditos eruditissimos: inque probis, candidè, & sincerè probus. Nec à te, si sustines, totus discedam. Cùm enim ex occupatio-

nibus coutinuis ſubceſſiva, quoad potui, momenta ſurripuerim ſemper: eaque ſolitudini, pietati, eruditioni impensè elocanda; tantillæ *Lucubrationes* meæ quo fermè deſtinaveram, tandem divino duce Mercurio, celeſtique Minerva provectæ ſunt. Selegi igitur vtroque, Gallico ſcilicet, Latinoque idiomate potiora; quæ olim, magnam certè partem ſeorſim, nunc gregatim redeunt ſub prælũ. Vtriſque præopto, & efflagito à te, Vir verè πολυμαθὴς judicium, cenſuram, ſuffragium. Precorque velis abſente Autore, tutorem agere Pupillis; quippè publicæ alijs almæ Facultatis Doctor perilluſtris, mihi privatim doctiſſimus es perindè & chariſſimus. CHAPELL.

Faciliùs erat, forſan & commodiùs, omnem ejuſmodi partum ſupprimi. Ita eſt, MI CHAPELLATI; nec mea mihi proles ſic bella, ſic puppa, vt faciam tivillitium. Simiarium eſt, fœtus ſuos ab amore complexu ſuffocare. Qui poſteriori ævo immane ſcribendi cachoëtes, per tot Voluminum farra- XX

gines & acervos, in alijs vix probo; damnarem in memet, si sentirem eo calamum pruritu laborare. Sanè cui Orbis esse debet parum, vita nihil: fides vna ἐγγυκλοπειδία, CHRISTVS totũ, vix reflectet ad istiusmodi *nugarum nugas, & vanitates vanitatum*. Fama omnis cartacea, lævissima semper mihi visa est: aura popularis sæpiùs aut emendicata, aut ementita; aut in totum cæca, ac semper caduca & evanida. Et quid tandem grande illud cum Homero, Aristotele, Cicerone, Virgilio, *volitare per ora virùm*, teri-ve legentium manibus; si interim (malum!) tanti Scriptores *laudantur vbi non sunt, cruciantur vbi sunt*?

Egregiam verò laudẽ, & spolia ampla referre.

Longè mihi semper potiùs meum celis, quàm folijs nomen committere: optareque magis, & anniti libro vitæ CHRISTI rubricâ inscribi; quàm codicibus, & corticibus perituris.

SCRIBIMVS tamen, & excudimus, non abnuo. Quia DEO id minimè displicet, DEI Hominibus placet, nocet nemi-

nemini, cordatorum aliqui dudum sollicitant: Typographorum characteribus gratiora hæc lectu, paratuque faciliora, quàm Amanuensium. Quid plura? Ejusdem mecum ex voto Familiæ, & Observantiæ Cultoribus; nonnihil, si Numen aspirat, creduntur profutura. Tyronibus præsertim, quos minimæ inter nos Reformationis Schola, cum alto pietatis sensu, à probabili saltem Doctrinarum tinctura docet non abhorrere. Tandem vt abessent cetera; id mihi, fateor, non vsquequaque ingratum, quia Amicorum saltem præcipuis scio gratissimum: quęroque etiam Typis domesticam lucem, potiùs quàm publicam.

CHAPPEL.

Tuum verò à me ambiri calculum, VIR ERVDITISSIME, indulgebis, vt soles omnia humanissimè; si placet recordari quanti te semper æstimaverim: vicissimque nostros oris, calamique conatus tibi jam olim non improbatos. Primas enim propemodum Lutetiæ Conciones meas, facili aure excepisti. Præmessum etiam Sapien-

ILLVSTRIS. tiæ hujus, manu tua subsignatum approbasti. Ceteris itaque Partibus iussis meis latere in scrinijs, blattas inter & spongiam; ecce tibi prodeunt Selectiores. Quæ videlicet secundis cogitationibus meis; vitæque institutis pressiùs congruunt, vtiliùs inserviunt. Ad malleum, incudem & limam, frequenter revocatæ; exeant-ne magis politæ, ipse tu judicabis. DEVS verò Scientiarum Dominus quam placuerit benedictionem impertietur. Propitium vitæ tuæ precor. Et tu si amantem redamas, nostro itineri apprecare.

LVTET. PARIS. KALEND. FEBR.
AN. MDCXLVIII.

AMIOTO.

SAPIENTISSIMO VIRO

Doctori Sorbonico

N. AMIOTO,

S. Mederici Lutetiæ Pastori

Zelantissimo ac Vigilantissimo.

ITER ROMAN. XXI

QVid enim verò est, AMIOTE AMICISSIME, quod meum silentium accuses; qui ea in re, sum vt in alijs plerisque quas accumulat calumnia, innocentissimus. Certè ex quo Lutetiâ discessi, totius itineris rationem reddere non destiti ea fide & diligentiâ, quam mihi, dum valediceremus, tua imposuerat amicitia.

ITER igitur vt repetam, & amico curioso satisfaciam, omninò bimestre fuit durum & asperum partim à frigore, partim à montibus: nam mediter-

ILLVSTRIS. raneo me committere renui obstinatiùs, & sanè pretium fuit. Antisiodori, & Lugduni recepi per amicos tuæ benevolentiæ pignora. Cabiloni ad Ararim accessi eo ipso die quo vester ille, qui nusquam recedit à seipso. Conciones habui frequentes, sed Gratianopoli per duodecim dies frequentissimas. Illic inclamavi altiùs, cautionem à fermento Pharisæorum. Istic totus fui in controversia contra Hæreticos, & pietate ob cruenta patientis tunc CHRISTI mysteria. Vtrobiquè plantanti & irriganti, dedisse visum est Numen nonnihil incrementi. Romam accessi paulò tardiùs, quàm plures optaverant. Ad meum tamen gustum satis citò, quia non malè: nec importunè, aut intempestivè. Ideo statim & irrequietè occupatissimus sesquimensem, in rebus Capituli; in quo ex CHRISTI benignitate, habuit Religio & Reformatio successus omnes felicissimos. Ab eo tempore aëre humidiori, æstu ardentiori, & omnibus isthic vltra montes insuetis, continuò tenta-

ta valetudo eſt. Fluxio tamen & dolor, magis quàm morbus aut ægritudo. AMIOTO.

Sed heus tu, Pastor Optime, quis providentiæ ludus? Quem Lutetiæ immoriturum par erat cogitare, is Romæ modò vivere cogitur. Veteres interim Patronos qui ſuperſunt, inveni, quales fuerunt erga me ab annis quindecim. Novi acceſſere, antiquis non impares. Ivimus ad oſcula pedum Pontificis, re magis adhuc quàm nomine Sanctiſſimi. Amat doctos, amat eruditos, amat eloquentes, amat probos; quales ipſe, qualis & tu. Inter plura hîc mihi moleſta, nihil gratiùs quàm audire de B. Epiſcopo Saleſio inter Sanctos vindicando. Devotio erga illum Chriſtianitatis noſtro ævo ἥρωα Pontificis mira, ſpes auget ſollicitantium. Et videbis in Oratione Conſiſtoriali, quam ad te mitto, ab eloquentiſſimo hîc famoſiſſimoque Bottino pronunciatam magno cum applauſu. Verùm vt pro more dicam ingenuè quod ſentio, cautiones & ampliationes in hac Curia Romana præ-

XXIII

fertim super huiusmodi rebus ingen- ILLVSTRIS
tes, vixque credendæ nisi à testibus oculatis. Illas tamen probo, laudo, amo. Eo saltem modo obturatur os loquentium iniqua ex Calvinistis & Libertinis, contra Sacram nostram Apotheosim. Vnde & conijcies, PASTOR VIGILANTISSIME, quæ apud nostrates cogitantur de hujus & illius canonizatione, procul & procul abesse; nam & earum Piëtissimarum nomina, vixdum in Vrbe nota. Non desinendum tamen ab incœptis præclarè, sed mandatarijs opus & commendatitijs priusquam procedatur vlteriùs. Eæ dum expectantur, nostra omnia vobis etiam atque etiam commendo: & pro ijs quæ fecit hactenus vestra in me vetus benevolentia, offertque deinceps, gratias refero, si minus quas debeo, saltem quantas potest animi affectus sincerissimus, tibique dudum devotissimus. ROMAE PRID. KAL. AVG. AN. MDCLX.

ILLV STRISS. AC REVERENDISS.

ABBATI MICHAELI IVSTINIANO.

FAMOSO Iuſtinianorum Innocentium Martyrio eleganti ſtylo, planeque oratorio dum feliciter patrocinaris; dicam, dici tibi, ABBAS PERQVAM ERVDITE, & ſtrui ab ipſa etiam cognata familia calumniam, quidquid eloquio valeas, hactenus nuſquam mihi potuiſti perſuadere. Loquar vt mei moris eſt, pectore candido, ore rotundo, ſolertiam credidi Viri ſagacis: qui vt olim Athletæ ad lapidem neſcio quem fatidicum exercebantur, ita ſeculi Ingenia voluiſti experiri in ſpontanea, factitiaque controverſia; RESPONS. XXIV

ID enimverò perquam licere arbitror, quia nulla lege, nulla ratione, nullo exemplo video interdictum. Im- XXV

mo verò tametsi Ius Canonicum testes
ILLVSTRIS. in criminibus, domesticos non admittat; in possessionibus tamen similibusque negotijs illos iubet assumi, qui eadem negotia tractaverunt, de quorum auditu & visu hæsitatio esse non debeat; quippe, subjungit Glossa, *causa generalis non est causa singulorum.* Domesticis quidem facilè est confingere, sed & illorum quoque est de penatibus testificari.

Ratio huiusce rei validissima sumi potest ex Philosopho qui passim docet, cuique in arte sua, vtpotè gnaro; consequenter, & in domesticis maximè credendum. Exteros certè in alienis referendis plurimùm hallucinari, liquet tum vnius Taciti Cornelij exemplo, res Iudaicas per mille fabulas & mendacia interpolantis. Tum verò ex Tertulliani Apologetico, vbi Gentiles arguit quod crederent de rebus Christianorum, non Christianis, cùm *immusici non debeant iudicare de musicis.*

XXVI ATQVE vt cetera passim obvia prætermittam, Commentaria nomina-

tim Iulij Cæsaris à seipso conscripta; IVSTINIA.
Scriptorum vetustissimus Moses, non solùm suæ Gentis Hebrææ: sed suæ etiam familiæ, suique adeò ipsius egregia ad miraculum facinora litteris cõsignavit. Et meditatè non semel animadverti quidquid salutationis Angelicæ, circaque Verbi-Incarnati primordia credit Christianitas; id quidem exarasse Lucam Evangelistam à DEO inspiratum, sed relatu sanctissimæ DEIPARAE. Pari quoque modo quot, quantaque de seipso, suisque rebus planè mirificis recitat Paulus? Et narranti vtiquè fidem adhibemus.

XXVII Verùm ne hîc divina autoritas provocetur & obtendatur, Hieronymum quoque video suum de Scriptoribus Ecclesiasticis Catalogum Græco-Latinum, absolvere per suorum ipsiusmet Operum indicem. Iustum quoque Lipsium moris antiqui, & antiquariæ eruditionis memini suæ totius vitæ narrationem suarum epistolarum alicui inseruisse. Adeò verè scripsit Tacitus, Agricolæ Soceri vitã scripturus; *pleri-*

ILLVSTRIS. *que suam ipsi vitam narrare, fiduciam morum, quàm arrogantiam arbitrati sunt*. Deniquè totam hancce controversiam, si qua est, paucis, vt solet, conficit & absolvit effatum Nazianzeni decretorium. Sororem laudans, inquit Græcæ Theologiæ & Eloquentiæ apex Gregorius in Gorgonæ suæ Elogio, domestica prædicatio; non ideo tamen falsa, quia domestica. Sed quoniam vera, ideo laudanda. Vera autem non quia solũ iusta, sed quia omnibus nota. Ἀδελφὴν ἐπαινῶν τὰ οἰκεῖα θαυμάσομαι, οὐ μὴν ὅτι οἰκεῖα, διὰ τοῦτο ψευδῶς· ἀλλ' ὅτι ἀληθῆ, διὰ τοῦτο ἐπαινετῶς. Ἀληθῆ δὲ, οὐχ ὅτι δίκαια μόνον, ἀλλ' ὅτι καὶ γινωσκόμενα.

Quibus paucis equidem sed, liquidis, palam fit non alium testem probiorem, aut idoneum magis; quàm oculatum, & conscium in domesticis rebus enarrandis. Ideò pulchrè dictum, *nec te quæsieris extra*.

XXVIII. Perge igitur porro, Vir Magne, præeunte Isaia Vate Evangelico; [accendere ignem, accingi flammis quas

succendisti.] Nec supersit vllus deinceps scrupulus, famam per tuas vigilias augere tuæ prænobilis Familiæ Iustinianæ. Macte animo, teste siquidem vel ipso Pontifice Romano Paulo V. *illa dedit Patriæ cives potentissimos, Italiæ Duces præclarissimos; Religioni Viros eruditionis, & pietatis laude præstantes.* Hos nimirum inclytos & innumeros, junge Innocentibus tuis duodeviginti. Sic enim mixtis Avorum, Nepotumque luminibus, erit condigna apud posteros, qui tuâ operâ fruentur, cotesseratio. IN VRBE KAL. APR. AN. MDCLXI.

ELPIDI BENED.

CL. V. ET ERVDITO

ELPIDIO BENEDETTI.

PARENTAVIMVS ambo ego & tu, ABBAS PERQVAM ERVDITE, defuncto Cardinali Eminentiss. Mazarino. Pompam extruxisti funebrem, quam Roma suspexit in sacris Vincentij &

MAVS. EM. MAZARIN.

XXIX

CLAL.VIR. Anaſtaſij Ædibus, Lutetia cum reliquo Orbe Europæo calcographiæ inſculptā mirata eſt. Vt præterea moli velut animum & vitam infunderem Oratione mea funebri, juſſerunt ij quorum imperia detrectare mihi nefas fuit. Ac leſſum quidem iſtum quanta potui cura & ſtudio apparavi, non ingratæ ſervitutis meæ, & obſequij monumentum. Effeciſti verò tu, ELPIDI PEROPTIME, incredibili induſtria, majorique affectu, vt tanti Herois memoria ad poſteros cum laude deveniret. Et planè intererat futuræ ętatis, vt Mazarini per te Mauſoleo famularetur. Quia enim omnia præclara rara ſunt, decuit mandari poſteris memoriam illius Viri; quem phraſi Scripturæ in omnibus operibus ſuis præcellentem, vel ipſa invidia etiam invita, confitetur. Statuiſti ſimul vt olim in Civitatum meditullio ζόπαιον ἔρωτος, gratique animi perenne documentum. Nec mors omnia diſſolvens ſolvit amicitiam, quam oſtendiſti longè nobilioribus principijs innixam, quàm vtilita-

tis. Adeò in ea, vt vester habet Tullius, nihil fictum, nihil simulatum: sed quidquid in ea est, id & verum & voluntariũ. Suggessit illa sanè tot erudita, tot speciosa, tot acuta emblemata; quibus Mazarino Pugnantium Compositori, Regum Conciliatori hinc palmâ belli victorijs, indè olivâ pacis per Regales nuptias sancitæ; Coronam nectis nusquam vnquam intermorituram. In Vrbe Kal. Ivl. MDCLXI.

EMINENTISS. PRINCIPI

CARDINALI ANTONIO

BARBERINO

ELOG. FVNEBR. E C. MAZARIN. XXX

HABES, EMINENTISSIME PRINCEPS, in hocce Elogio funebri, servitutis erga te meæ non vulgare monumentum. Plura enim profectò statim dum præcepisti occurrerunt, quę me à suscipiendo onere admodum lubrico & ancipiti, non injustè deter-

rebant. Verùm nec inobediens, te præ-
EMINENT. sertim jubente, esse debui nec potui ex meamet indole, nō esse fidelis. Sueta nimirùm tibi magnanimitate defuncto jam Mazarino novam per Iusta hæc publica vitam repastinaturus, me interea optasti Oratorem; vt & qui laudatur & qui laudat, tui prorsus esse, etiam vltra funus, perseverent. Parui ergo laudum ab arte & fuco nullatenus egens, quas suggerit abundè ipsa per se ferax materia. Neque verò mihi parum admodum proclivi in adulationes, ex sacro præsertim Suggestu, præcavendum valdè fuit. Dixi nimirùm in Exequijs, consignoque modò Posteritati, quæ fermè nemo ignorat: quorumque tota Europa & theatrum, & testis. Ceterum quæstu perinde & gratiâ procul, istud etiam modicæ gratitudinis argumentum non duxi invidendum.

HANC demum, ANTONI PEROPTIME, anfractus inter & scopulos summam deputavi felicitatis meæ. Si id habet obedientia inauspicatum, quod

est cœca; fausto quoque fruitur privilegio, quo rea nunquam legitimè accusatur, nedum condemnatur. Conductus igitur vestro solùm jussu, meoq; mero affectu, parentavi defuncto Cardinali Regis mei Ministro, revera vndequaquè Eminentissimo. Tibique augustioribus etiã titulis inclyto, istud obsequij ergaTe mei per omnia devotissimi vadimonium publicis velut tabulis scribo; nusquam vnquam, vel in ipsa Libitina deserendum. IN VRBE KAL. MAII MDCLXI.

ANTONIO BARBERIN.

FINIS.

I. PARTIS.

